Grenoillette. Baſſinet quenter inueniuntur. Eadem de cauſa *Grenoillette* à Gallis nominatur: *Baſſinet* verò à floribus, quòd vaſis æneis conſtrinarum, in quibus barbas emolliunt, ſimiles videantur colore ac figura. Vulgus Herbariorum Apium riſus vocat, ab effectione quam inducit.

Vires in genere

Vim habent Ranunculi folia & caules teneri impoſiti exulcerandi, & cruſtam cum dolore inducendi. Vnde & ſcabros vngues & Scabiem remouent, & ſtigmata & puncta delent, fornicarias item ac penſiles verrucas & alopecias ad breue tempus impoſita tollunt. Foliorum verò decocto tepido perniones perfunduntur. At radix arida trita naribus admota, ſternutamenta mouet: & adalligata dentium dolores leuat: frangit tamen ipſos authore Dioſcoride. Ranunculis omnibus [ita Plinius vertit] vis cauſtica, ſi cruda folia imponuntur, puſtulaſque, vt ignis, faciunt. Ideò ad lepras his vtuntur, & ad tollenda ſtigmata, cauſticiſque omnibus miſcent. Alopeciis imponunt, celeriter remouentes. Radix in dolore manducata diutiùs, tumpit dentes. Eadem ſicca conciſa, ſternutamentum facit. Noſtri Herbarii Strumeã vocant: quoniam medetur ſtrumis & panis, parte in fumo ſuſpenſa, creduntque eâ rurſus fata, rebellare quæ curauit vitia. Quatuor habet ſpeciatim Ranunculus differentias, inquit Galenus. Sed omnes vehementer acrem facultatem poſſident, adeò vt cum dolore exulcerent &c. Omnium tum radicem, tum vniuerſam plantam vehementer calidam & ſiccam eſſe teſtatur quoque Fuchſius. Primi tamen generis ſilueſtris lutei [Ranunculi rotundifolii] non perinde ac reliquorum acris admodum eſſe facultatis.

Lepra Alopecia

Struma Fabula

Temper.

RANVNCVLVS RECTVS, NON REPENS flore ſimplici luteo.

Deſcript.

AD duos cubitos interdum videas recto læui *caule* hunc aſſurgere ex *radice* fibroſa albaque: *folia* ex longis pediculis reptantis Ranunculi foliis ſimilia accedunt interdum ad Aconitum luteum, vt me pene fefellerint, interdum purpureas habent maculas, parum hirſuta ſunt, acria: *flos* luteus, eumque ſubſequens echinatum *ſeminum capitulum*.

Synon.

Lobel. in Aduerſ. pratenſis Ranunculi varietas: in Obſ. p. 379. figuram ex Dodonæo habet, ſurrectis cauliculis pratenſis Ranunculi titulo.

Ranunc. 13 Taberd. Ran. ſilu. 2.

Tabern. in Hiſt. vocat Ranunculum 1. gemeinen Hanenfuß: Item, Ranunc. 2. ſilueſtrem: in Icon. Ranunc. ſilueſtrem. Vna figura, duæ deſcrip[tiones].

Gerardus pro Ranunculo ſurrectis cauliculis ponit iconem, quod non placet, à Tabern. pro Ranunculo dulci exhibitam: Pro Ranunculo verò batrachoide, Ranunculum ſilueſtrem Tabernamontani. Sckvvenckf. eſt Ranunculus vulgaris pratenſis cauſticus: 2. Matthioli: 1. Tabern. Ranunc. ſilueſtris pratenſis ſurrectis cauliculis.

Gerard. notatur.

Ran. Vulg. pratenſis cauſticus Schvv.

C. Bauh. phyt. Ranunc. 6. ſiue pratenſis erectus læuis: Item, Ranunc. 7. ſiue pratenſis erectus maculato folio, Calthæ alterum genus Tragi, Chryſanthemum Fuchſii.

C. B not.

An Anguillaræ Ranunculus Sardonicus?

Geneuæ ſpontè prouenit & Montbelgardi in pratis: Baſileæ in ſyluis: In valle Grieſbachiana copioſè prouenit foliis nigris maculis notatis: In Kirchen Ducatûs Vvirt. foliis magnis ad Aconitum accedentibus. In Sileſiæ pratis plûs quã notiſſimus, vt cuius flores ſæpe integra prata operiunt.

Locus

Hoc Ranunculo ſe aliquoties vſum pro veſicatorio aſſerebat D. Rentzius Med. Fontis admirabilis.

Vſus

RANVNCVLVS RECTVS NON REPENS pleno flore.

Deſcriptio

RAnunculo recto præcedenti cæterà ſimilis, atrorubente rigido *caule* ramoſo præditus: *folia* iam dicto proxima, maiora, crebriùs inciſa, acutiora: *flos* paruus auricomus, non, vt illius, ſimplex, ſed quod fortaſſis culturæ mangonio debetur, denſo foliorũ ſtipatu multiplex.

Dodon. gall. vocat Polyanthemum multiplex, *Baſſinet double*, ſimplici planè ſimile. Brunfelſ. tom. 1. Rhapſ. 23. Cruris galli ſpeciem domeſticam & hortulanam foliatis & repletis floribus: Camer. hort. Ranunc. tertium flore pleno erectum, Bauarorum klein Buck hertzu, Miſnenſiũ gelb tauſentſchön. C. Bauh. phyt. Ranunc. 8. ſiue hortenſis erectus multiplex, Pes corui flore pleno Brunfelſ. tom. 1. rhapſ. 23. Coronopus eidem in 4. p. 132.

Polyanth. multiplex Dod. Crus galli ſpecies domeſtica

An eſt Trago Ranunc. 2. multiplex, gefülter Hanenfüß. An Geſn. Ran. ſardous flore multiplici? An Cordo quod figuram attinet, quæ eadem cum noſtra, Ranunc. multiplex? An Lobel. in Aduerſ. Polyanthemos multiflorus ſiue holeraceus?

C. Bauh. in Pinace, Ranunc. luteus vel 3. flore multiplici Tragi, Ranunc. multiplex Fuchſ. tertiùs Turn. quartus Lonic. Ranunculi 7. ſpecies coronaria Cordi Hiſt. Ranunc. ſilu. 2. Dod. Lugd. Ran. polyanthemos Lob. polyanth. 3. erectus Camer. at 2. epit. Ran. erectus hortenſis flore pleno luteo Eyſt. Maior & minor habetur: & ille dicitur Ran. multiflorus Tabern. Ran. max. multiplex Gerardo. Flores Bellidum plenarum orbiculos imitantur, ſæpiùs geminatim combinantur, ac quandoque ſobolem aliam ex ſe mittunt.

Syn. C. B.

RANVNCVLVS TENVIFOLIVS MONtanus luteus.

CAP. XXVI.

PEculiaris hæc Ranunculi ſpecies eſt. *Radix* ex capitulo denſo tenuium fibrarum longarum

Deſcr.

rum nigricantium agmine constat. Ex qua ima statim *folia* singularia longis pediculis oriuntur, Geranii gruinalis, siue quarti Fuchsii, tripartita, sed minutiùs dissecta parte singula in minores diuisuras. *Cauliculi* plures, sesquipalmares, graciles quibus adhærent *folia* sine pediculis, sed in angustiores quàm priora multò partes diuisa & verè digitata. In quorũ sũmo *flores* singulares, lutei, splendẽtes, quinquefolii: Quorũ media numerosi apices concolores, sed obsoletiores occupant: inter quæ crassus quidam globulus futurorum *seminum*, vt in reliquis Ranunculis, rudimentum.

Locus

An aliquis eius meminerit, nondum mihi constat. Obseruatus Geneuę in montis Iurę prealta parte Thuiri.

RANVNCVLVS MAGNVS VALDE HIRsutus, flore luteo.

Descr.

EX *radice* oblonga ex qua veluti capillamenta sursum feruntur ad modum Dauci alterius Fuchsii, *caules* prodeunt cubitales, striati, caui, hirsutie asperi, & ex ruffo flaueſcentes, qui in ramos brachiantur: *foliis* quinis seniue palmaribus & sesquipalmaribus pediculis [caulis formâ & colore] è radice prodeuntibus, quæ densa sunt, lata, in ternas profundas lacinias diuisa, quæ denuò incisa sunt, per ambitum serrata, colore ex viridi nigricante, vel potiùs rufescente, quę propter lanuginem & hirsutiem splendent: in caule folia parua & quidem breuioribus pediculis habentur: in summis caulibus *flores* parui, aliorum Ranunculorum more quinque foliis donati, pallidè lutei: *semen* in capitula congestum succedit.

Synon.

C. Bauh. phyt. vocat Ranunculum 15. siue montanum latifolium hirsutum alterum. An Thalio Ranunculus Cordi sextus, seu Fammula.

Prouenit in monte Basileensi Apollineo, Muteto dicto, locis vmbrosis, vbi vt plurimùm reperitur Iunio florens: eundem etiam in Roßberg monte prope Tubingam collegit descriptionis author C. Bauhinus.

Locus & tempus

RANVNCVLVS RECTVS FOLIIS PALlidioribus hirsutis.

Descr.

Radicibus figitur multis, fibrosis, albis, nequaquam reptantibus: vnde *caules* pullulant, complures pedales vel cubitales, caui, molles hirsuti, in varios ramulos diuisi, quorum extrema *flores* sustinent paruos, luteos, quinis foliis, rarò pluribus constantes, apicibus medium occupantibus, crebris luteis: quibus succedunt *capitula* aspera, vt in plerisque Ranunc. folia multò minora quàm in Reptante, vel Recto, hirsuta, longis nixa pediculis quoque, in tria primaria segmenta diuisa, quorum vuumquodque deinceps in profundas lacinias subsecatur, quorum color subpallidus minusque virens quàm in reliquis Ranunculi speciebus: At verò, priora nec profundè, nec in tot lacinias diuisa sunt, vt supremi, figurâ etiam sunt rotundiore. In gustu nullam percepimus acrimoniâ manifestam.

An Ranunc. 19. Casp. Bauh.

Locus & Tempus.

Circa Mõtbelgardum & Beffordiam, locis potissimùm humidioribus & lutosis abũdat: floretque Maio, Iunio & Iulio.

RANVNCVLVS TVBEROSVS MAIOR CAP. XXVII.

Descr.

QVemadmodũ inter vulgares Ranunc. hunc quoque est reperire, ita quoque *folia* iis habet similia, similiterque subsecta, pilosa, maculis albescentibus notata: *flore* aureo, caule hirsuto, vulgari Ranũculo respondet. *radix* subest alba, bulbosa, Fabæ vulgaris mediocris magnitudine, quæ

facilè separari potest, multis fibris circumdata. Et talem reperi in Italia: Geneuæ obseruaui in Ranunculo simili hirsuto bulbũ dependentem, vt Matthiolus pingit.

Minoris Iam descripto accedit Ranunculus paruus, si non idem, à me sæpiùs obseruatus, verticillato tubere non admodum altè acto donatus [qui non facilè separatur à caule & foliorum pediculis] fibras satis crassas demittente ex inferiore bulbi parte, quique *caulem* erigit subhirsutum, *floribus* vulgaris Ranunculi recti simplicibus, quos excipit similiter capitulum, Fragis, vel Pentaphyllo simile: cui succedunt *semina* parua compressa, duplici pelliculâ vnaquæque inuoluta: *folia* non admodum magna, in tria segmenta potissimùm dissecta, hirsuta, Hic Ranunculus interdum valdè paruus cum caule singulari, vix dodrantali, interdum maiore, ramoso.

Icon. Crus galli. Coronopus silu. Figura ex Fuchsianis apposita non in omnibus satisfacit. Brunfelsii figura, Tom. 1. thap. 123. Cruris galli, des Kleinen Hanenfüß / & Coronopi siluestris titulo donata, respondet Ranunculo tuberoso minori hic descripto.

Ran. minor Ranunculi 9 spes Ran. 1 exiguus idemque sceleratiss. Fuchs. in Hist. (vbi describere neglexit) & Icon. dicitur Ranunculus minor. Cordo Hist. Ranunculi 9. species, cognomento rotunda, germ. Drüeßwürtz. Cum Batrachio picto à Matthiolo, & à nobis priore loco descripto conuenit descriptio Tragi Ranunculi primi exigui eiusdemque sceleratissimi folio nigricante, leuiterque hirsuto, parte sui auersâ ranam viridẽ referente.

Batrachi Apuleii Ran. tuberosus Dod. gall. vocat Βατράχιον Apuleii, Belgarum Sint Antheunis race. In Hist. purg. & lat. in fol. inscribit Ranunculum tuberosum: ait autem Dioscoridem huius non meminisse: Apuleium verò ab aliis separasse, seorsumque de isto egisse & peculiariter Batrachion appellasse: & hinc Apuleii Batrachion dici, vulgóque Rapum D. Antonii nominari. Figura Dod. gallici erat eadem quæ Fuchsii: Latini alia est, qualis apud Lobelium.

Rapum D. Antonii.

Bulbosum Ranunculum Lobelii in Icon. Plant. p. 667. fuisse malè in Aduers. ab hirsuto muricato semine denominatum, monet in Obs. p. 380.

Ranunc. bulbosus, siue quintus Matth. in Dioscor. & Hist. germ. respondet Ranunculo priori descripto.

H. Lugd. duas habet figuras: Ranunculum 5. Matthioli. p. 1029. Ranunc. tuberosum p. 1034.

Lonic. dicitur Ranunc. 5. Officinarum Pes columbinus, Taubenfües / quod nomen non placet. Camer. hort. Ranunc. radice bulbosâ vel tuberosâ potiùs, flore simplici. Thal. Ranunc. bulbosus Apuleii à Dod. ascriptus. Cæsalp. Ranũc. aliud genus, tum foliis tum caulibus lanuginosum, radicem ferens Verticilli modo rotundam, priuatim Pes coruinus vocatum. Tabern. in Ic. Ran. minor: in Hist. Ran. 4. minor, Ran. rotundus, Ranunculus Vulcani, & D. Antonii, Flammula minor, rotunda Vulcani, Brenkraut / Rubenhanenfus. Gerard. Ran. bulbosus, Roond rooted. Crowfoote.

Ran. bulb. radice teres. C. Bauh. phyt. Ranunc. 12: siue bulbosus radice verticilli modo rotundâ. In siluestribus flore est simplici, in hortos translatus non modò flores multiplicat, sed ex vno & alterum promit. Reperitur etiam locis arenosis & saxosis ita paruus, vt vix trium vnciarum sit. Item, Ranunc. 13. siue minimus saxatilis hirsutus, cauliculo triũ vnciarum, hirsuto.

Varietas

In montibus Bononiensibus obseruaui florere Aprili, nec non inter Veronam & Castelfranc: Geneuæ cum tubere ex tenui folio pendente virentem mensis Februarii principio. Minor Ranunculus, cui fibræ à tubere dependent abundat Montbelgardi loco valdè sicco ad Meridiem sito in Vitium monte, talis etiam in monte arcis Beffordianæ. *Tempus*

Scribit Tragus Batrachium exiguum adurere & exulcerare efficacissimè, non secus atque ea, quæ corrosiua vocant, nec nisi externis corporis partibus adhiberi debere, pustulas excitare, quare erodendis & exulcerandis duris tumoribus mirificè conducere, verrucas formicantes & pensiles, & id genus vitia, citra incisionem, seu adustionem, succum illitu tollere. Radix, vt ait Matthiolus, tuberosa pendens nucis Iuglandis magnitudine, acris & exulcerans, per Hiemem, arescentibus iam foliis, à quibusdam, vbi exulcerare partem aliquam volunt, vsurpatur. Herbam Batrachiõ tusâ cũ sua radice mixto aceto impones, authore Apuleio, his qui habent cicatrices nigras: exedit enim eas & similem corpori reliquo reddit colorem. Camerarius de Ranunculi bulbosi flore pleno & simplici facultatibus hæc subdit: Radix bulbi instar rotunda, si recens sit caustica est, ac admodum vrit: exiccata verò post vnum mensem dulcis efficitur: vtimur hac radice tusâ, & emplastri modo imposita tempore pestis ad rumpendos abscessus. Nebulones mendici quidam, quò facilius nobis imponant, eâ sanguine Draconis macerata suras aut femora illinunt. *Vires & vsus.* *Radix recens caustica sicca dulcis*

RANVNCVLVS MAXIMO TVBERE, flore magno pleno.

Iucundi spectaculi oblectamento, omnium Ranunculorum primas, amœno *florum* incremento: qui colore aureo non tantùm denso foliorum stipatu luxuriant, sed & è medio flore alius assurgit minor, hirsutis suis foliolis quinis non minùs quàm inferior obuallatus, numerosaque foliorum congestione multiplex, pediculo inferiorem transadigente: *folia* rugosiora quàm pratensis, siue surrecti, siue repentis, maiora, rotundiora, inque minùs acutos angulos diuisa: *radix* subest tuberosa verticillata, Cyclamini magnitudine. *Descr.*

Et hic vocatur à Lob. in Adu. Ranunculus polyanthemos Anglorum: in Ic. Pl. p. 666. Ran. magnus Anglicus polyanthos. A Dod. de purg. Ran. tuberosus flores multiplicans: in fol. lat. Ran. tub. flore

flore multiplici. A Camer.hort.Ran.radice bulbosâ,vel tuberosâ potiùs flore pleno. A C.Bauh. phyt.Ran.11. siue radice tuberosâ pleno fl. habetur & simplici : in Pin.Ran.hort. flore pleno quintus,siue Ran.rad. tuberosa fl.pleno & prolifero,Ran.3. Camerarii in Epitome. Solum florem appictum habet.A Tabern.in Hist.Ran.24. omninò similis quarto minori tuberoso, radice & foliis,nisi quod maior est,& flores pleni:Ran. tuberosus aut bulbosus multiflorus , Germ. gefült Drûß wûrtz / & gefülter kleiner hanenfûß: Item,Ranunc.25.prædicto similis : sed flos duplex, aut triplex.

Locus

Montbelgardi colui Ranunculum amplissimo flore pleno,radice valdè tuberosa,plurimùm se multiplicantem. In Belgii hortis reperitur, eò primum ex Anglia delatus,& tandem in Germaniam.

RANVNCVLVS FLORE GLOBOSO, quibusdam Trollius flos.

Cap. XXVIII.

Descr.

Ranūc. *flore* globoso dictus, *radicem* nigram, fibrosamque Helleb. æmulam habet: *folia* ferè Aconiti, in quinq; segmenta diuisa,idque ad ipsum vsque pediculum dodrante longiorem , nisi quòd folia in caule , nullo pediculo cauli adnascũtur,cõ similiter tamẽ diuisa: *caulis* sesquicubitalis læuis,inanis,ramosus, *flores* sustinet vulgari Ranunculorum sorte maiores,iis tamen concolores,sed minùs micantes,denis,aut vndenis foliis constantes,intrò modicè reflexis,vt sessilem globum imitentur: [qui minùs bene nostrâ figurâ exprimitur]fibræ luteæ,medium occupant.

Ranunculi globoso flore duorũm generũ Clusio

Ranunculi huius Clusius duo in Austriacarum Stiriacarumque Alpium pratis obseruabat genera: *Maius* vnum,ampliore flore,& quasi aureo: *Alterum* , humilius , flore paullò minore, & colore,vt plurimùm , ex viridi pallescente: aliàs, foliorum formâ,capitulis,semine nigro,& radice inter se conueniebant hi duo Ranunculi glomerato flore,vt in post. Hist. author vocat, vel vt in Pannon.p.372. Trollius flos.

Matthiolus Aconitis adnumerat hunc Ranũculum , licèt ad Aconiti genera non pertineat.

Synon.

Lacuna in Dioſc. Aconiti tertii inscriptione solam iconem ponit. nam in annot.vbi Aconiti tertii meminit, hoc non intelligit. Thalio dicitur Aconitum 3. Matth. flore Ranunculi luteo magno.

Tabern. duasfigura

Tabern.in Icon.Ran.alp.luteus : in Hist.Ran. montanus luteus. Item,in Ic. & Hist. [vbi ei quintum] Aconitum Matthioli tertium. Hæ duæ figuræ non sunt diuersarum duarum plantarum sed vnius,quod Compil. nõ animaduertit.

Peius apud H. Lugd. triplex imago ponitur. p.1029. Ranunculus 6. Matthioli : p.1033. Ranunc. flore globoso: p.1739. Aconitum lycoctonum 3. Matthioli. Priori & posteriori loco non describitur.

H Lugd. tres effigiẽ

Gesn.hort. Trollius flos, Anemone montana luteo & in globum collecto flore, & Ran. montanus. Dodon.Ran.externus quintus,Ran. fl. globoso & sic etiã Eyst.Lob.in Obs.p.385. Ic. pl. p.675.Ran.mont.Alp.glomeratus.Gerardo Ran. globosus.Schvv.Ran.Alp.lut.globosus.C.Bauh. phyt. Ran.44.siue montanus globoso flore luteo,& [secundùm Tabern. qui Ranunculum 12. Alp.album nominat] albo : Eidem in Pin. Ran. mont.9. siue Aconiti folio , fl.globoso , Ranun. mont.alter folio altiore quasi Nâpelli, Cæsalpini.

Synon.

Proferunt hunc alti montes Harciniæ,& Helueticorum Alpes : itemque Silesiæ vallis Gigantum ad Oupæ cataractam,florentem Iulio : Geneuenses,vt mons Thuiri , copiosum etiam Iunio : Non diu durat in hortis, nisi loco vmbroso & frigidiusculo plantetur.

Locus & tempus.

Notandum Matthiolum tribuere suo Aconito flore Ranunculi, vsus & vires lycoctoni quas nostro inesse Ranunculo globoso flore vix credimus. Potest tamen in animalibus fieri periculum. Schvv.quidem cæteris Ranunculis hunc minùs acrem ait, ac propterea minùs calefacere & siccare.

Matth. notatur

ACONITVM 5. MATTHIOLI EFFIGIE alicuius Ranunculi vel Anemones.

Cap. XXIX.

Acon.5.fl. purpureis Matth. quid

Cuius plantæ icon à Matthiolo in Epit. anni 1571.pro Aconito quinto floribus purpureis sit proposita , hactenus præsentire non licuit, quia nullam addidit descriptionem: *folia* quidem referunt Ranunculi genus aliquod,sed *caules* ita picti,vt singulares & non ramosi videantur, *flores* autem quinquefolii. An potiùs ad Anemonẽ aliquam sit referendum, fatemur nos ignorare. Camer.in Epit. sic describit: Aconito quinto flores insunt crocei,folia vitigineis aut ficulneis accedunt magnitudine ac figurâ seu diuisione,maculis verò albis & liuescentibus venis deformãtur,radix nigra. Eius autem inuenitur copia in monte Baldo.

RANVNCVLVS REPENS, FLORE LVteo simplici.

Cap. XXX.

Descriptio

Fibrosâ *radice* reptante, quæ non bene exprimitur figura apposita ex Fuchsianis , albidaque nititur,ex qua *caules* oriuntur aliquot fistulosi,purpureo & viridi,instar Serpentariæ,versicolores,nonnihil hirsuti, brachiati,supini,humi sparsi,quam attingentes fibris productis denuò radices agunt: *folia* atrouirentia,subinde maculis nonnullis albis notata, hirsuta, Apii diuisurâ quodammodò sapore herbaceo : *flores* aurei, quinque foliolis splendentibus compositi: fibræ & apices crocei,*capitulum* echinatum.

Ran.dulcis seu pratensis Tragi

A Trago pro Ranunculo pratensi primo,siue

dulci rectè describitur, sed malè pro Ran. siluestri pingitur, transpositis figuris. Huius enim imago posteriori loco p. 98. pro silu. Ranunculo posita, debebat priori p. 97. poni pro Ranunculo dulci seu pratensi: & è contrà quæ p. 97. pro dulci exextat, ponenda erat p. 98. pro siluestri.

An Fuchs o Chrysanthemum, germ. Wasserhanenfüß?

Polyanthemum simpl. Dod. gall.

Dodon. gall. vocat Polyanthemum simplex à Plinio lib. 27. cap. 12. descriptum, minùs calidum & siccum Ranunculo, vt quod, teste Trago, cibis admisceatur. Breuiter & ambiguè describit, nec figuram in omnibus respondentem, Fuchsii scilicet, assumpsit. Ea autem, quam in purg. hist. & lat. in fol. Ranunculi hortensis primi titulo exhibuit, nobis satisfacit. Ranunculi porrò speciem esse, non modò florum, verùm & ipsâ totius herbæ facie, & facultate ostendi posse credidit.

Synon. nonnulla

Lobel. in Adu. vocat Ranunculi differentiam & varietatem vulgatissimam vbique pratensem à Brabantis tritè Botterblom (quosi Florem butyri) vocatam, vt quâ tenerâ floribusque onustâ multùm pastæ vaccæ, quum ad mulctrum veniunt, vberiùs lac dent. In Obs. p. 379. Ic. Pl. p. 664. Ran. pratensi etiamque hortensem reptante cauliculo. Gesn. hort. Ranunculi genus per terram magis repens, & acrimoniâ carens, Coronopodem quorundam, & Ranunculi speciem similem luteam flore simplici: Idem de coll. stirp. Ranunculum plumbum habentem, & interea serpentem, floribus maioribus, iuxta semitas. Cæsalp. Ranunculi genus humi serpens non mordens. Turn. Ran. tertium, vulgari similem per omnia, sed dulcem, Monguntinensibus Schmaltwort Sunß hanenfüß nuncupatum. Hort. Lus. Ran. vinealem repentem weingarten hanenfüß: Item, Ran. dulcem pratensem, Süssen wissen hanenfüß. Tabern. in Icon. Ranunc. dulcem, Batrachium salutiferum: Item, Ran. holeraceum maiorem, grossen füssen hanenfuß/Bütterblüm: Et, Ran. vinealem, Batrachium vineale, wingart hanenfüß: In Hist. de his ait: Ranunculum dulcem quidam docti imprudenter miscent cum Coronopo Dioscoridis: dicitur græce Βατράχιον γλυκερόν, Batrachiũ dulce, aut salutiferum, Ran. dulcis pratensis, vulgò herbariis holeraceus, quibusdam salutiferus, Mins hanenfuß: dimittit cauliculos repentes, Fragariæ modo Ran. dulcis 3. siue holeraceus maior, aut pratensis maior, germ. groß Schmaltzblum/ groß Butterblum: folia habet priori dulci similia, maiora, minùs laciniata, caulem maiorem, ac etiam flores maiores. Ran. dulcis 6. doctis ἰκτινοπόδιον, Ictinopodium, Lat. dictus Pes miluinus, Batrachium vineale, Ran. repens dulcis & vinealis priori (dulci) foliis similis foret, nisi crassiora & obscuriùs viridia essent, caules item crassiusculi & fusci: repit & se renouat. Descriptio Ranunc. 1. dulcis Tabern. conuenit cum nostro Ranunculo, non item icon, quæ non respondet descriptioni, vt in qua nulli caules repẽtes. An 3. dulcis sit repens non indicat Tabern. nec icone demonstrat. Ranunculi 6. icon facta videtur ad iconem Lobelii.

Icones Tabern. quæ?

Gerardus pro Ranunculo pratensi etiamque hortensi, Lommon Crowfoote proponit iconem Ran. repentis dulcis sexti Tabern. Item, pro Ran. auricomo, golde harie Crowfoote eiusdem Ran. dulcem tertium.

Ranunculum dulcem Schvvenckf. Tabernomontanum secutus, triplicem constituit: Ran. dulcem pratensem, oleraceum: Ranunc. dul. prat. maiorem: &, Ran. dul. prat. maculosũ, serpentẽ.

An Ranunculus secundus Matthioli?

Ran. hort. prior Ded. H. Lugd.

Historia certè Lugd. præter Ranunculum secundum Matthioli, quem p. 1028. exhibet, pro repente alium Ranunculum, sc. hortensem priorem Dodonæi p. 1031. demonstrat. Et hunc nostrum pulchrè exprimere dicimus, quamvis alterius sit opinionis Dalechamp. qui eum ad quartum Matthioli accedere suspicatur.

An Brunfels. Coronopus & Crus galli silu.?

An est Anguill. epist. 11. Ranun. tertia species?

Thalio est Ranunc. polyanthemus 1. Dodonæi, Ranunc. pratens. 1. Anglorum, Ranunculi 8. species Cordi: Item, Ran. auricomus, seu 3. Ran. species Dod. gallici, Ran. dulcis siue pratensis Tragi. Ego Ran. octauum Cordi huc non refero, sed ad Ran. surrectum acrem, licèt Thalio assentiatur C. Bauh. in phyt. vbi ei est Ranunc. 9. siue pratensis repens hirsutus simplici flore.

Locus & Tempus

Basileæ in pratis florentem adhuc Octobri ob seruaui, & Geneuæ Nouembri & Martii principio, Aprili Monspelii, ac passim Montbelgardi. Locis vmbrosis, & nonnihil humentibus, non prorsus aridis, secus vias & in locis hortorum inculris sponte exit: in pratis quoque, & non rarò iuxta agrorum margines occurrit. Nec enim quod in hortis tantummodò gignatur, Dodonæo hortensis dicitur, sed quia ferè præ cæteris hortis sit familiarior, atque in his creberrimè gramini permistus reperiatur. Maio ac deinde seriùs multò vigent flores.

Vires & vsus.

Ranunculum maiorem siue pratensem dulcem minimè acrem perhibet Tragus, ac propterea citra periculum & noxam vtrinque corpori adhiberi posse ait: folia quidem quacunque in corporis parte ortos tumores imposita discutere ac resoluere. Refert Lobelius, herbam teneram, floribusque onustam, nec non semen, minùs vrente gustu, nec insuaui odore lactis copiã imperire credi: pasci enim hanc præ cæteris armẽta, ceu gratiorẽ, & pratis pinguioribus vsq; cũctis copiosissimam. Tabern. scribit Ranunculum 1. dulcem Aprili & Maio collectum in pultibus oleraceis esse valdè gratum, sicuti & dulcem tertium Maio collectum, aceum insuper cum sexto bobus & vaccis gratum & salubre pabulum præbere, iisque lac augere.

RANVNCVLVS REPENS FLORE pleno.

Descr.

ET huic quoque fistulosi *caules*, maculosi, subhirsuti, humi fusi, qui vbi terram attigerunt demissis fibris eam denuò subeunt: *folia* Repen-

Reliquam Ranunculorum historiam petat Lector ex huius Tomi Appendice pag. 857

SCROPHVLARIA VVLGARIS & major.

Cap. XXXI.

Descriptio.

FOetidi odoris tota est. Radix obliquè agitur, alba, crassiuscula, & tuberibus inæqualibus strumosa: caulis firmus, rectus, quadratus, cauus, purpurascens, ad binos cubitos excrescit, in alas diuisus: folia Galeopsis, maiora, acuta, serrata, ex caulis geniculis aduersa, atrovirentia: flores ex hirsutis pediculis, caulycibus quinque-foliis insident, Antirrhini minimi, hiantis oris instar habentes, suprema lacinia intus atro-purpurea, extrà nonnihil viresccnte, lateralibus duabus cum infima extrorsum reflexa magis ex viridi pallescentibus, prominulo è rictu stilo virente, altè reconditis tortuosis staminibus cum apicibus ochreis.

Nomina linguarum.

Passim Scophulariam vocant, cognomentò maiorem, ad differentiam minoris, quæ Fabarola & Chelidonium minus quoq; nuncupatur. Appellant verò & Millemorbiam, Ficariam, Ferrariam & Castrangulam: Germani **Braunwurtz / Sauwurtz/Scuwurtz/Feigwartzenkraut/Feigwurtzen kraut/** & **groß feigwartzenkraut**: Belgæ **groot speenkruyte steenkruyt & helmcruyt**: Galli *Scapulaire*: Ital. *Scrofolaria*: Angli **water betonye / broune wurt**: Hung. Scrofulariam appellant **Torokgiik fiu: Fekete, bozza**, h. e. nigrum Ebulum.

Radix in empta sculpta figura minùs placet: tubera enim inæqualia strumosa non satis exprimit.

Fuchs. Cordus, & Dod. gall. & Gesn. opinio de Scrophularia reprobata.

Fuchs. Cordus, & Dod. gall. itémque Gesn. in cat. pl. Scrophulariam hic à nobis traditam pro Galeopside demonstrant, & describunt. Quorum sententiam reprobant Matth. & Dod. lat. in fol. In Scrophularia vulgari grauem odorem, quo Galeopsim præditam esse volunt, frustrà desiderantes: Vnde odoratûs sensum eos [præsertim verò Matthiolum] perdidisse facilè quis crediderit.

Galeopsim esse non posse dicimus, inquit Marantha, quòd præter alia, tota planta fœtidi & grauis sit odoris, licèt omninò nullam contritionis violentiam sit perpessa: Galeopsos autem folia non nisi trita odorem grauem reddant.

Cæcutiunt & illi, qui cum Trago Ocymastrum faciunt. Nec minùs aberrant qui cum Rob. Constant. Clymenum Plinij esse contendunt. Quidam herbam Chrysippeam Plinij esse putant, quæ cum Ficis strumis medetur. Sed in tanta verborum Plinij breuitate, quod concludam non occurrit. Tigurenses vocant **Schwartze Nachtschat**, i.e. Solanum nigrum, impropriè tamen: nec desunt qui **wurmfraut**/hoc est, Vermiũ herbam, aut Vermicularẽ vocitent, sed quam ob causam, nondum patet. Gesn. in cat. pl. cur Agripalmam cognominarit, haud video. Geneuę vocant *L'herbe du siege*, à parte cui remedio est. Summo enim emolumento radice vtuntur, in hæmorroidibus abigendis.

Synon.

Cæterùm, Matth. passim in comm. suis, Hist. germ. & Epit. etiam cum add. Camerarij, Lac. & Dod. lat. in fol. vocant Scrophulariam: Brunfels. Cast. Dur. Gesn. quadr. Lon. Turn. Lobel. in Adu. Obs. p. 289. Icon. Plant. p. 533. Thal. Camer. & Tabern. Scrophulariam maiorem: H. Lugd. pag. Scroph. maiorem Matthioli: C. Bauh. phyt. Scrophulariam 1. [2. apud Matth.] siue nodosam fœtidam. Gesn. hort. Scrofulariam maiorem: Item, Clymenum nodos ceu scrophulas in radice habens, & Clymenum marem: Cæsalp. Scrofulariam maiorem recentiorum Medicorum. Galeopsim Fuchs. Cord. & Dodon. gall. itémque Gesner. in cat. pl. Galeopsim minorem Fuchs. in Icon.

Locus & tempus.

Scrophulariam vulgarem maiorem obseruaui Basileæ Octobri ad fluuium Birse extra & intra vrbem: item florentem extra portam Basileæ minoris **Riemerthor**, mense Iunio: Geneuæ passim: Lugduni quoque, & in Italia inter Veronam & Castelfranc. Secus agrorum margines, in scrobibus siccis non rarò prouenit, ac in syluis. Iulio ac Augusto cum flore viget; semen inde maturescit.

Vires & vsus.

Cæterùm, quamuis satis sit, Scrophulariam non esse Galeopsim: ea tamen viribus pollet non contemnendis, namque eius radix strumas, & hæmorrhoidas sanat. In quem vsum radix effoditur autumnali tempore, & repurgata tunditur cum recenti butiro, operculatoque fictili in vliginoso loco reponitur, vbi dimittitur per quindecim dies. Deinde lento igne butyrum illud liquefit, & percolatum asseruatur, quo prædicti morbi itémque scabies, vtilissimè illinuntur, referente Matthiolo, Solenandro cons. med. 20. section. 4. & Dodonæo. Scrophularia radicem habet tuberosam (inquit Porta phyt. lib. 5. cap. 23. vbi figura) vlceribus strumosis cauernosis, carcinomati, aut depascentibus sideratis, satis oportunam: tuberculis item ab humore frigido glaciatis emolliendo opitulantem. Facultate autem calida & sicca est, & propterea desiccat, extenuat, discutit, abstergit: est enim gustu amara, & subtilium partium. Et hinc ad duros glandularum tumores quos Græci χοιράδας, Latini strumas, & vulgò Scrofulas appellant, & hæmorrhoidum cum dolore tumores prodesse fertur. Nonnulli vel collo appensam, vel aliàs gestatam ad sanitatem conferre temerè prædicant. Siccæ radicis puluis impositus hæmorrhoidas siccat: Idem drachmæ pondere potus, lumbricos ventris pellit. Aqua è radicibus distillata, faciei ruborem illita tollit.

Superstitio.

SCROPHVLARIA MAXIMA radice fibrosâ.

Cap. XXXII.

QVadratis caulibus ad cubitos aliquot altis excrescit: per quod folia Scrophulariæ

vulgaris, vel Betonicæ, serrata, nigricantia, fœtida: flores & vascula ad maioris vulgatæ Scrophulariæ accedunt: verùm radix non, vt illi, strumosa, sed ex innumeris fibris contexta.

Hoc est Ocimastrum illud maius Tragi, quod Ocimastro minore [Scrophularia vulgari] caule & foliis viridioribus esse perhibet, & ad proceritatem sæpè viri assurgere.

Eandem plantam cum Trago fortè intelligit Cornarius per Ocimum in aquosis nascens, quod Herbarios pro Erino Dioscoridis, & Erineo herba Plinii agnoscere ait, & Germanos pro wasser Basilien. Hoc non describit, & fortè nomen germanicum fingit.

An Ocimum aquatile Gesnero?

Lobel. in Obs. Scrophulariam maximam sub sequentibus nominibus pingit pag. 288. Betonica aquatica Septentrionalium an Clymenum Dioscoridis? Galeopsis siue Scrophularia altera Dodonæi vernaculæ editionis [gallicæ, intelligo.] Clymenon Turneri [eius verba præc. cap. adscripsi:] Sesamoides minus fortè Solimano. Terpentaria D. I. Dilsii à Terebinthinæ dote simili. Ocimastrum alterum Tragi. Belg. Beeck Scûym & cruyt / S. Antûenis crûyt. In Icon. Plant. pag. 533. intitulauit Betonicam aquaticam Septentrionalium: Dodonæus Lat. Betonicam aquatilem. Camer. apud Matth. vocat Scrofulariam fœminam, & vulgo germ. weissen Nachtschatten/hoc est, Solanum album.

C. Bauh. phyt. Scrophulariam 2. siue palustrem non fœtidam. Item. Scrophulariam 3. siue aquaticam folio Betonicæ: Ocymastrum maius Tragi: Beton. aquat. Septentrionalium Lobelio. Apud Matth. Scrophulariam palustrem radicibus fibrosis, caule & foliis prorsus viridibus, in palustribus Basileensibus minimè fœtentem. Secundam & tertiam Fratris Scrophulariam nondum separauerim. C.B.not.

Locus & Tempus. Variis in locis prouenit Montbelgardi. Monspelii floret mense Maio & Iunio ad fossas aquarum. Iuxta aquas profluentes emicat, inquit Dod. ac secus scrobium ripas: in aridis vix reperitur. Iulio ac Augusto cum flore viget, semen inde maturescit.

Vires & Vsus. Facultate calida & sicca est: folia absterſoria vi prædita, ad praua, & fœtida vlcera plurimùm prodesse feruntur: & cum melle succus horum decoctus. Curant autem vlcera & contusa, si manè & serò continuis diebus in foco calefacta & contrita folia imponantur.

* * *

SCROPHVLARIA FLORE RVBRO Camerarii.

Cap. XXXII.

Scroph. sine tuberculis

SCrophularia altera sine scrophulis siue tuberculis, cuius flosculos & folia Scrophulariæ vulgaris maioris elegantiora esse ait author Camerarius, in cæteris fermè conuenire, nescit an ab aliis descripta, nisi sit Galeopsis Anguillaræ. Semine quotannis sua sponte propagatur.

Icon. Scroph. peregrina.

Huius iconem quadragesimo tertio loco, Scrophularia peregrinæ titulo pictam dedit. In hac autem imagine flosculi è suo conceptaculo euulsi, parte anteriore & posteriore, & vnus eidem adhuc inhærens, denique semen cum suo vasculo distinctè notari possunt. Sculptor noster malè capitulorum apices ademit, & ea nimis rotunda repræsentauit.

C. Bauhinus, cui à Doldio ex horto Camerarij transmissa, vocauit in phyt. Scrophulariam quartam, siue flore rubro. An est Clusio Scrophularia Cretica 2. cuius delineationem infrà eadem inscriptione dabimus?

SCROPHVLARIA LVTEA MAGNA amplis foliis.

Cap. XXXIII.

Descriptio

CAules profert plures bicubitales circiter, quadratos, nonnihil pilosos: folia superiora acuminata, neruosa, profundè per ambitum serrata, infima quidem quatuor vncias longa, totidem lata, pediculo quaternis vncijs longiore: quæ his superiora sunt, per caulem veluti ad genicula oppositò situ nascuntur

nascuntur, alia trium, alia duarum vnciarum & semuncialibus tandem pediculis hærent, decrescente pariter foliorum magnitudine: ex vniuscuiusque ferè folij sinu pediculus emergit palmaris circiter, cuius circa fastigium foliola bina exigua conspiciuntur, supra quæ extremo pediculi cacumine *flores* hærent complures, lutei, Pisi minimi magnitudine, concaui, hiantes, apicibus itidem intus luteis, quos extrinsecus amplectuntur foliola quædam lutea: subsequuntur *seminum* conceptacula turbinata, capitulis hyperici similia. Nullum mihi manifestũ odorem halat planta. Sapor autem tam florum, quàm foliorum nonnihil dulcis mihi videtur.

Lamium Pannonicum 2. siue exoticum Clusio.

Locus & tempus

Montbelgardi in horto Ill. E.C. pluribus annis durat se quotannis semine renouans, Aprili & Maio florens. Clusius florentem obseruauit primùm Viennæ Austriæ in hortulo suo ad parietẽ natã, nescit quo semine. Eam subsequens Hiems auferebat quidem, sed deciduo semine prognatæ sunt insequente anno aliquot plãtæ, quæ demùm altero Vere flores protulere. Floret Maio, semen Iunio maturum est: deinde tota planta radicitus perit: nonnunquam tamen ex radice etiam repullulat.

SCROPHVLARIA INDICA CAPITVLIS maximis, & de Creticis Syluij Scrophularijs.

Cap. XXXIV.

Semen Indica. Calyces

SCrophularię Indicæ nomine accepi *semen* quoddam, cuius calyces sunt ex breuibus inæqualis lõgitudinis pediculis quinque simul iunctis, formæ ferè & magnitudinis Ciceris arietini rotundi, qui bipartiti in acumẽ desinunt, quos folia ambiunt breuia: semẽ in capitulis, siue calicib., minutũ, nigrum. Hanc Caspar. Bauh. in phyt. vocat Scrophulariam 6. siue Indicam capitulis aliquot iunctis, sed quadruplò quàm in alijs maioribus.



Scrophulariæ autem Creticæ genera duo tradit & describit Clusius: 1. quidem quod Francofurti natum ex semine Cretâ accepto, Rutæ siluestris appellatione: ac 2. quod folio vrticæ esse dicit; ac de quo meritò quæri & dubitari possit, vtrũ sit Scrophularia peregrina Camerarij necne.

SCROPHVLARIA TERTIA DODONÆO tenuifolia, Ruta canina quibusdam vocata.

Cap. XXXV.

Descriptio

SCrophulariæ tertiæ nomine exhibita à Dodonæo planta, *radicem* habet longam, simplicem, mediocriter crassam: *caules* cubitales striatos, teretes, ferè nigricantes, medullâ fungosâ plenos, ramosos, per quos *folia* oblonga, angusta, profundè laciniata, grauiter odorata: *flores* eo ordine dispositi quo in Scrophularia maiore vulgari; copiosiores, parui, nigri, quos vascula excipiunt Scrophulariæ minora, acuminata, in duas carinas dehiscentia.

Scroph 3. Dodon.

Scrophularię suæ tertiã speciem Dod. gall. pro Galeopseos specie sumi posse admittit. Lobel. in Aduers. huius mẽtionẽ facit nomine Rutæ caninę [sic in Obseru. pag. 588. & Ic. Plãt. Tom. 2. pag. 55. quoque inscribitur.] & suspicatur Hypecoum esse. Clus. in Histor. post. vocat Scrophulariam, siue Rutam caninam primam.

Ad Sideritidem reducitur à Cæsalpino & Camerario. Gesnerus tradit in pede montis circa Glaronam locis saxosis nasci, Monspelij Rutam caninam vocatam.

An Cordo Herba folijs Pyrethri? An Herba Mora Italorum H. Lugdunens.

Locus & tempus.

Montbelgardi in horto Ill. E.C. per multos annos floruit adhuc Octobri, radice perenni. Eam autem primùm obseruaui Esslingæ in horto cultiss. Ioan. Volmarij, qui Sesamoides nominabat; dein Monspelij & Lugduni, itémque Brisaci ad Rhenum.

CHÁMÆROPS.

Cap. XXXVI.

Chamæropis Plinii. Descriptio

CHamęrops Plinij hæc videtur esse Historiæ Lugdunensi pagina 1339. quæ in siluosis gignitur, radice crassâ & multiplici, caulibus multis & cubitalib., foliis Myrti circa caulem geminis: flore copioso; è foliorum sinibus nascente, semine in oblongis vasculis.

Eosdem verò effectus

lateris doloribus habet Chamærops, inquit lib. 26.cap.7. Plinius, myrtes circa caulem geminis foliis, capitulis Græculæ rosæ ex vino pota. Quisquis ille fuerit apud H. Lugdunensem, qui Chamæropem Plinii ita ieiunè delinearit, nec natalē adscripserit, authoritati suę non consuluit. Meritò cum Casp. Bauhino, quænam hæc sit, aliquis petierit.

H Lugd. not.

DE SIDERITIDE IN GENERE, ET particulatim de Heraclea.

CAP. XXXVII.

Sideritidis Etymon.

Σιδηῖτις Gr. Latinis quoq; Sideritis dicitur ἀπὸ σιδήρου, à ferro, quasi Ferruminatrix, quòd vulnerib. ferro factis perutilis sit, vel quoniam glutinandis vulnerib. apta, præcipuū in bello habeat vsum, quod sæpè ab eo metallo in græcis scriptoribus indicatur. Sed cùm permultæ sint plantæ, diuersi etiam generis, eæque inūgnes, quæ ferro sauciatis partibus, vel vulneribus quouis modo acceptis, opem polliceantur, ac ob id Sideritides nuncupentur, haud immeritò hîc eę commemorandæ veniunt. Sed enim studiosis bene consultum fore speramus, si eæ, quæ à veteribus, & maximè à Dioscoride, descriptæ sunt, illis primò innotescant.

Sideritidis tria genera Dioſc. lectio illuſtratur.

Dioscorides itaque tria facit Sideritidis genera, quorum primum est Sideritis, quam aliqui Heracleam vocant [hanc solùm describit Byzant. cod. Sarrac.] herba folia habens parua multa & tenuia, similia Marrubio [ὅμοια πρασίῳ. Vet. ἑλελισφάκῳ πρὸς τὰ τῦ δρυὸς.] sed oblongiora [ἐπιμηκέστερα.] ad Saluiæ [ἑλελισφάκου] aut Quercus [δρυὸς] folia accedentia, minora quidem & aspera. Caules verò edit quadratos, pedales [dodrantales, Sarrac. σπιθαμαίους græc. cod. πηχυαίους vet.] & maiores, non iniucundi gustûs [ἀκ ἀηδεῖς. ἀειδεῖς Dal. ἡδεῖς vet.] & quodammodò leuiter subastringentis, in quibus ex interuallo verticilli spectantur rotundi, vt in Marrubio, & in iis semen nigrum. In locis sub quibus petræ latent, nascitur. Folia imposita vim habent glutinandi vulnera, & ab inflammatione vindicandi. Sideritis altera ramos habet binûm cubitorum, exiles: folia longis hęrentia pediculis, ceu Filicis, in extrema sui parte incisuris diuisa, vtrinque numerosa: è superioribus autem alarum cauis nouos erumpentes surculos longos, tenues, capitulis in cacumine globosis & asperis, in quibus semen continetur, ceu Betæ, verùm aliquantò rotundius atque durius. Huius etiam foliorum vis vulneribus vtilis est. Traditur & tertia Sideritis, quam etiam Crateuas Heracleam vocat. In maceriis vinetisque nascitur, foliis ab vna radice multis, Coriandro similibus, circa cauliculos dodrantales, lęues, teneros, cum rubore candicantes: floribus puniceis, paruis, gustu amaris & lentis. Huius etiam impositæ ea vis est, vt cruenta recentiaque vulnera glutinet.

Panax Heraclea. Milleſoliū.

Panacem Heracleam, alii Sideritim, & apud nos Millefolium vocant, cubitali scapo, ramosam, minutioribus quàm Fœniculi foliis vestitam ab imo. Alii fatentur quidem illam vulneribus vtilem, sed veram Achilleam esse scapo cæruleo, pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis eleganter vestitam. Alii quadrato caule, capitibus Marrubii, folio Quereus. Hanc etiam præcisos neruos glutinare ferunt. Alii Sideritim in maceriis nascentem, cùm teritur, fœtidi odoris: Etiam num aliam similem huic, sed candidioribus foliis & pinguioribus, tenerioribus cauliculis, in vineis nascentem. Alam verò binûm cubitorum, ramulis exilibus, triangulis, folio Filicis, pediculo longo, Betę semine, omnes vulneribus præcipuas. Nostri eam quæ est latissimo folio, Scopas regias vocant. Medetur anginis suûm.

Achilleas seu Sideritides sex statuit & describit Plinius, ac satis quidem indistinctè, ita tamen vt agnosci & intelligi possit [inquit Dalech.] primam Achilleon eius, Dioscoridis Achilleam esse: secundam, Achilleon veram, scapo cæruleo, &c. esse Myriophyllon Dioscoridis. Tertiam quadrato caule, &c. esse Sideritin Heracleam Dioscoridis primam. Quartam in maceriis nascentem, &c. esse Heracleam Crateuæ; apud Dioscoridem. Quintam superiori similem, sed foliis candidioribus, &c. esse tertiam Sideritin Dioscoridis. Sextam, Dioscoridis Sideritin secundam.

Sideritis vna Galeni.

Galenus vnius duntaxat Sideritidis meminit. Sideritis [inquit 8. simpl.] habet quidem etiam abstergendi facultatem quandam, sed plurima eius pars humida est, & mediocriter frigida: pauca verò inest adstrictio, quare phlegmonem sedat & glutinat.

Clausimus vno eodemque capite veterum codicum lectione & fide per Marcellum moniti, tres ab aliis seorsum tractatas Sideritides, nec satis certâ à veteribus etiam historiâ descriptas. Quominus miretur aliquis nostra ætate incertas earum notas: & inter similes herbas & eiusdem potestatis vagos Medicorum vsus, miscentibus earum genera Herbariis, & inuicem commutantibus. Factum hoc iampridem est, quodque Plinii ætate incertum erat, ignorari sęculo nostro nullus mirabitur. Nos quidem ingenuè fatemur in tanta veterum & iuniorum diuersitate nihil habere, quod pro comperto tradere valeamus.

Aequinoct

Sideritis nomine sequentes insigniuntur plantæ. Sideritis hirsuta vulgaris. Sider. Clus. capitato flore. Sider. Monspessul. Sider. Hisp. hirsuta Clusio. Sideritis floseulis vix ex vasculis prominentibus fuscis. Sideritis quarta Clusii ramulis procumbentibus. Sideritis folio rotundiore. Sideritis glabra aruensis. Sideritis Valerandi Dourez breui spica. Sideritis lignosa. Sideritis glabra angustifolia speciosis verticillis. Sideritis cruciata. Sideritidis genus spinosis verticillis. Sideritis spinosa. Siden foliolis Oleæ. Ladanum segetum flore albo. Ladanum segetum flore rubro. Cannabis siluestris quorundam. Cardiaca. Marrubium Tragi palustre. Marrubium Pannonicum. Marrub. album angustum. Herba venti. Melissophyllon Fuchsii. Galeopsis angustifolia fœtida. Galeopsis, latifolia fœtida. Gallitrichum siluestre. Gallitrichum satiuum. Gallitricho affine Maru. Galeopsis lutea. Ternionaria. Coris lutea Monspessulana. Euphrasia 2. Dod. purpurea. Botrys altera. Chamæpitys. Senetio hirsutus fœtidus. Parietaria. Millefolium stratiotes. Achillea. Fumaria minor. Geranium sanguineum. Geranium Robertianum. Scrophularia tertia Dodonæi. Sanicula vulgaris. Sanguisorba minor. Barbarea. Filix floribus insignis. Tanacetum album. Verbenaca supina. Pulmonaria gallica. Virga aurea. Erice. Eruum.

SIDERITIS

SIDERITIS VVLGARIS HIRSVTA.

CAP. XXXVIII.

Descrip.

EX lignosa radice caules emittit pedales & bipedales, quadratos, hirsutos, ex albido virore flaueſcẽtes: ad quorum genicula folia exeunt aduersa, rugosa hirsuta, vnciali, aut sextantali longitudine, semuncia circiter lata, in ambitu crenata, sapore exsiccante & adstringente cum calore aliquo: flores verticillati genicula amplectũtur, galericulati, ex albido lutei, labro sanguineis punctis guttato, ex calyculis hirsutis, in quinque mucronata segmenta abeuntibus: relinquunt post se singuli flores quaterna semina.

Ex Clusio. Clusius de sua dicit, folia grauiter odorata, gustũs amaricantis & acriusculi: flores galeatos aliquantulùm, candidos, odoratos, hiatum, siue rictum sanguineis notis consperſum habentes: semen in pentagonis vasculis inæquale, nigrum.

Lob. descr. Lob. sic describit. Virgultis pedalibus, iam surrectis iam depressis, quadratis, duriusculis, ternis, aut quaternis, verticillis crebribus donatis, pungentibus, floribus albicantibus ex diluta purpura. Iuxta quos & subter, folia sunt longiora, angustiora, incana, & vt totus caulis, scabra, & crispa, ambitu laciniato, vt Chamædrys, aliquando lacinioſa diuisura obscuriùs apparet in quibusdam foliis, quæ causa fuit, vt Dioscorides iam quernæ frondi, iam Saluiæ & Marrubio contulerit. Radix lignosa Marrubij, minùs fibrosa.

Synon. linguarum. Sideritim appellat Ruellius: Sider. Heracleam Euch. Roesl. & Lobelius: Sider. heracleam Dioscor. Tabern. Sideritidem primam Fuchs. Sideritim 1. Dioscoridis Turn. Sideritim Fuchsij Cord. in Hist. & Camer. Hort. Sideritim 1. Dodonæi [gall.] & Fuchsij Hort. Lusit. & Thalius. Sideritim 1. Fuchsij Gesn. hort. Siderit m 1. Marrubij folio in cat. pl. Sider. 1. florib. albis de coll. stirp. Sideritim vulgarem Camer. in Hist. germ. & Epit. Matthioli. Sideritidem quartam Lonic. Sideritim Pannonicam spicato flore Clus. in Pannon. Hist. Sid. 1. vulgarem in Hist. post. Sid. 2. siue vulgarem hirsutam C. Bauh. phyt. Aliqui veram Achilleam cognominant. Sed & Alysson Galeni vocat Presburger. Recentiores Herbarij & officinæ nonnullæ Iudaicam herbam, & Tetrahil aut Tetrahit barbaro nomine inscribunt: Germani wundkraut. i.e. herbam vulnerariam, & gliedkraut, h.e. Artuum, & Zeißkraut. Galli *espece de Tetrait*, Fuchs. & Lob. Hung. *Tiztos fiu*, h.e. Nobilem herbam. Magna officinarum pars, ac nonnulli recentiorum pro Chamæpity veterum ostendunt, eáque non sine errore, vt bene docet Fuchsius Sidereritidem 1. inscribens, pro Chamępity vtuntur. Fuchsio in eo aduersatur Matthiolus, à cuius è contrà stat partib. in adu. Lob. Vocabulo, inquit, quod ferro saucsatis partib. opem promitteret, nobilitarunt primi mortales complures plantas, Sideritidesq; vocarunt, potiùs virium consimiles effectiones sequuti, quàm vultuum affinitates, genericáſve differentias. Quare Sideritidem hanc Heracliam, siue Ferrumi natricem Herculeam, docti Barbari illam multo experimento competam & vocatam Tetrahil, siue Iudaicam esse sanxerunt: non modò propter vires efficacissimas, & planè Herculeas, sed etiam quia quàm proximè delineationem Dioscoridis, si quæ alia, repræsentat. Quo magis dolet peritis & candidis plantarum arbitris, Commentatorem Senensem eò securitatis ignauæ progressum, vt cùm quænam esset, vel Italicis Iudæis Iudaica herba, se nescire quereretur, quam scitè, vt sæpe omnia Ruellius, & ex eo Fuchsius expressisset, tamen in vtrumque insciticæ calumniam impegerit, & sensu studio planè deprauato plausum è triuio captarit. Huicque herbæ de sua classe pulsæ, sibi missas, vt semper iactat, nec tamen nisi mutilè descriptas, alias suffecerit, sc. Marrubium aquaticum vulgi. Hæc Lobel. in Aduers. vbi plantam minùs felici picturâ expressit. Eandem imaginem in Ic. Plant. p. 523. pro Sideritide siue Ferruminatrice, & Sideritide Herculea Dioſc. Cordo, Clusio & Herbariis dedit: Itémque ibidem aliam pro Tetrahit Herbariorum pinxit. Is autem in Obs. p. 282. pro Tetrahit Aduersariorum, siue Heraclea Sideritide Dioscoridis Cordi & Clusij, aut pro Sideritidis vulgaris figura, ponit iconem Clusij Sideritidis Hispanicæ, quasi putarit eandem cum vulgari Fuchsiana. Libro etiam Iconum, plantæ, quam exhibuerat pro vulgari hac Sideritide, titulum iam scriptum adaptauit, ibidémque iconem Clusij à vulgari non separauit. Et hæc occasio vt Lobelij descriptionem nostræ subiecerimus: Clusij autem Sideritis Hispanicæ capite proprio. *Lobel. not.*

Sed & H. Lugd. primam Dioscoridis Sideritim Tetrahit esse pronunciat. Ait autem inter cætera. Matthiolus Ruellium & Fuchsium erroris insimulat, quòd primam Sideritidem dixerint herbam esse, quæ hodie nostris herbariis & officinis barbaro nomine Tetrahit, aliis herba Iudaica nominatur. At periti & exercitati Herbarij, tum Ruellio, Fuchsióque ætate superiores, tum inferiores multis rationibus inducti Tetrahit siue Iudaicam herbam, primam, siue Heracleam Sideritidem esse censuerunt: &c. Eadem verò historia huius plantæ duas proponit figuras p. 119. Vnam quidem habet hoc titulo: Tetrahit, Herba Iudaica, Sideritis prima Fuchsio: alteri titulum fecit, Tetrahit, Sideritis Heraclea Dioscoridis. Et hanc Clusius & Lobelius quoque pictam dederunt, quæ meo iudicio eiusdem plantæ cum Sideritide prima Fuchsij: nec meminit Historia duarum discrepantium Herbariorum Dioscoridis Tetrahit. *Matth. notatur.*

Camerarius in Epit. & Hist. germ. Matth. ait se apposuisse Sideritidem vulgarem, propter vires celebrem, tamen glabram & serratis foliis pinxit, quæ non respondere videtur vulgari, sed potiùs nostræ Sideritidi cruciatæ, de qua paulò post. *Camer. notatur.*

Monspelij florentem obseruaui mense Iunio, ac etiam Geneuæ & Basileæ quà itur Moutets, & inter portam cineream & lapideam, circa castel- *Locus & Tempus.*

lum Hermes : Item extra portam Riemerthor. Iunio & Octobri. Montbelgardi copiosè prouenit. Clusius passim in Gallia, Germania, Pannonia, & Austria siccioribus agrorum & siluarum cæduarum marginibus obuiam perhibet. Collib. apricis & merediano Soli obiectis, in promontoriis præcipuè circa Ilfeldam, Vvernigerodam: versus Northusam obseruauit Thalius. Lobelius in maritimis, & montosis Italiæ, Insubriæ, & ad Apenninos montes, Venetiis ad Lio, inque Galliis Narbonensi & Lugdunensi reptantem, strigosaque vel sabulosa arida perpetuò amantem, inque Autumnum perdurantem : Iulio & Iunio florentem.

Vires & Vsus

Iam diu valdè magno emolumento cognita practicis quibusdam Iudæis & Maranis cursoribus, qui hâc enterocelas & alba menstrua curant. Vehementer exsiccat, nonnihil odora adstrictione insigni, nec ingrato sapore, ad vulnera nata & prorsum tanto Herois nomine digna. Hanc in vsum desiccatam adseruant thizotomæ mulierculæ : Nam præterquam quod aduersus capitis dolorem, quem Stirn fûes peer appellant [vnde herbæ nomen, inquit Clus.] ipsum decocto illius lauari vtile censent, ab aliquo indocto empirico edoctæ : earundem etiam decocto pedes & alios artus defatigatos, aut alioqui rigentes, vtiliter foueri prædicant. Quidam ad crurum Erysipelata [Belgæ de rooſe/Germ. die Röte appellant] curanda, recens collectæ & adhuc virentis decocto, non sine felici successu vsi sunt, crura fouendo, aut decocti fumo leniendo.

SIDERITIS SECVNDA CLVSIO, capitato flore.

Descriptio

HVmilior priore, neque pedalem excedit altitudinem, in raros diuisa ramulos, foliis priori similibus, mollioribus tamen : flores ampliores albi, pallescente labro, & paucis rubris punctis aspersо, verticillatim in vtriculis caulem supremosque ramulos ambientes, breuiorem quàm in iam dicta, & quasi mutilatam spicam conficiunt, vt in Prunella vulgò dicta, authore Clusio qui Sideritim secundam Pannonicam capitato flore in Hist. Pann. vocat, & Sideritim 2. in post.

Locus.

Nusquam non occurrit in agris, & inter segetes in multis Pannoniæ & Austriæ locis : circa tribswinckel autem frequentissima. Floret Iulio.

SIDERITIS MONSPESSVLANA.

Cap. XXXIX.

Descriptio.

SIderitidi Monspessulanæ radix subest crassiuscula lignosa, raris fibris donata : caules à radice mox plures, subinde ramosi, dodrantales, valdè hirsuti, albicantes : folia breuiora, rotundiora, magisque hirsuta, quàm Sideritidis vulgaris, serrata, amara : flores verticillati, forma quidem & magnitudine similes, sed coloris ex luteo albescentis, odore est graui. Amaricante exsiccanteque gustu præditi sunt flosculi, inquit Lobelius, ac nonnihil aromatici suauisque halant, quod Chamædryn aut Betonicam referat.

Synonyma

Lobel. dicitur in Adv. Sideritis Monspeliaca Scordioides, siue Scordii folio. In Obs. pag. 285.

& Icon. Plant. pag. 525. Sideritis Monspeliaca Scordioides floribus luteis, Tragotiganum Prassoides Francisci Pennini. H. Lugd. pag. 1122. Sideritis Mõspelensis Penæ. C. Bauh. phyt. Sideritis 5. siue hirsuta Monspeliaca.

Florentem Locus & Tempus. mense Aprili & Maio vidi prope patibulum Monspessuli vbi abundare annotauit Monspelensium Schola.

SIDERITIS CLVSIO HISPANICA hirsuta.

CAP. XL.

Descriptio

LOngiore est folio quàm Marrubium, satis ad Saluiæ folium accedente, minore tamen, querni ferè folii diuisurâ, scabro, villis quibusdam prædito, nec iniucundi gustûs, nec odoris: caules fundit quadrangulos, palmum vt plurimùm excedentes, interdum procumbentes, duros, hirtos, candicantes, quorum summitates per interualla verticillati orbes coronant, vt in vulgari Sideritide, orbes vasculis constant, in quibus flos priori par, ex candido nonnunquam purpurascens, quo euanescente, semen in vasculis nigricans reperitur : radix dura, lignosa, viuax, authore descriptore Clusio.

Lobelius in Obs. & in Icon. pl. assumpta Icone Sideritis Hispanicæ Clusii, eandem fecit cum vulgari, vt iam antè annotauimus. Dodonæus etiam proponit iconem Sideritidis Hispanicæ Clusii, quam à vulgari non distinguit. An verò Sideritis vulgaris sit, de qua scribit, iudicent lectores.

C. Bauh. phyt. ait Sideritim suam 3. siue hirsutam alteram esse Sideritim heracleam Clusii hisp. & Tetrahit herbariorum Lobelii, differreque à vulgari, quòd illa altior : hæc caules habeat procumbentes, magisque hirsutie candicet. Ego autem ferè dicerem Sideritim hispanicam Clusii eandem esse cum Monspelensi, nisi Lobelius & Casp. Bauh. eam ab illa separarent. Posteri hanc rem diligentiùs perquirent.

An Sideritis 1. Schvvenckfeld.?

Locus & tempus.

Nusquam ferè non occurrit hæc arido & petroso solo per Hispaniam, Galliam, Germaniam, floretque Æstate, & quibusdam etiam locis in Autumnum vsque florens spectatur, vt refert Clus. in hisp. Idem in hist. post. ait frequentem occurrere aridis & petrosis Castellæ veteris locis, Æstate florentem, quibusdam etiam locis in Autumnum vsque floribus onustam conspici.

SIDERITIS

SIDERITIS FLOSCVLIS VIX EX VASculis prominentibus fuscis. CAP. XLII.

Descriptio

CVbitalis est, plùs minùs planta, caule quadrato, hirsuto, foliis donato ad articulos vt in Sideritide vulgari, aduersis nequaquam per marginem serratis (in planta quâ habemus) vncialibus & sesquncialibus hirsutis: rami in quos diuiditur oppositum habent situm: per quos longâ serie flores verticillati, pusilli, intra ipsos calyces propemodum occultati, fusco colore inaurœni, in sicca, calycibus admodum hyrsutis, in quinque acutas in spinulam desinentes sectiones diuisis: porrò vnicuique verticillo bina subjiciuntur aduersa folia, multò inferioribus minora, magis tomentosa, neruis secundùm longitudinem donata, æquabili marginum circumscriptione ad Serpillum accedentia.

Ann. Iconem nostrani ex sicca pictor minùs fœliciter delineauit.

Locus Clus. in Pannon. p. 600. dicitur Sider. Pann. 3. In Hist. post. Siderit. 6. Pannon. C Bauh. phyt. Sid. 4. siue hirsuta Pannon. Rhizotomis Viennensib. mulierculis fues peer fraut.

Ex plantis Agerij habui Sideritidē Pannonicā hanc antè nō visam. Frequentissima autem est in Pannoniæ Austriæque inferioris aruis & inter segetes, macro & sterili solo. Floret Iunio & Iulio, semen subinde maturum etiam Iulio.

Tempus

Vires Huius vires adscriptæ sunt ex Clusio capite de Sideritide vulgari.

SIDERITIS QVARTA CLVSII, ramulis procumbentibus. CAP. XLIII.

Descriptio ALiquot habet ramos procumbentes, quadrangulos, tenues, villis quibusdā obsitos, quos per interualla contrario semper situ bina cingūt folia, vulgari, ferè similia, paulò tamen minora, à medio ad extremū serrata, nonnih l etiam villosa: summos ramos verticillatim ambiunt vasc ula in quibus flores, prioribus formâ similes, quātùm ex delineatione colligere potuit author Clus. propterea nihil de colore pronunciat, neque de semine, quod superiorum semini par esse verisimile est: radix non videtur viuax, sed eo anno, quo planta flores protulit, perite.

SIDERITIS FOLIO ROTVNDIORE. CAP. XLIV.

Descriptio MEdium caulem habet surrectum, quadrangulum: deinde, statim à radice, multos in l tera spargit ramos, humi fusos, quadrangulares, quibusdam villis pubescentes, geniculatos; quos bina semper inter se opposita, ad singulos nodos, amplectuntur folia, præcedentis foliis pēnè similia, minùs tamen serrata, inter quæ, ab imo ad sūmum vsque, verticillorum ritu nascuntur in vasculis flores, superioribus etiam forma similes, (quorum color, ni fallitur author Clusius, nam in aruis Belgicæ illam olim obseruasse putat:) albus: nec huius radix viuax esse videtur: Iconē ad Clus. mittebat Iac. Plateau, elegantèr expressam.

An Thalio Sideritis Cordi?

SIDERITIS GLABRA ARVENSIS. CAP. XLV.

Descriptio SIderitim vulgarem refert, tum caule quadrato, tū foliorū cōsimili positu, serratis, verūm tum ille, tū hæc glabra sunt & atro virore splendentia, folia etiā latiora: florum verticilli spicam effigiantes patulo rictu, subiecta habent singuli bina: flores ipsi maiores videntur, candoris nitui, subinde pilosi, veluti & calyx: radix simplex, gracilis.

Hæc est illa stirps, quam Tabern. in Hist. Alyssum maius: C. Bauh. phyt. Sider. 6. siue aruensem glabram, flore pallido. Non est autem Sideritis altera Matth. vt alicui facilè co cesserit C Bauh.

Locus & Tempus

Monthelgardi obseruaui in aruis inter Arbouans pagum & Audincourt, & eundo ad vites, florentem Iunio & Iulio ac Augusto: Basileæ etiam frequentem.

SIDERITIS VALERANDI DOVREZ breui spicâ. CAP. XLVI.

Descriptio MInimum digitum crassitudine fermè æquat radix, lignosa, non sine adnatis fibris, Lobelio flexuosa, pulla, amaricāte gustu, præsicca, nec ingrata: quæ ex se innumeras promit virgas ligneſcentes, dodrantales, oppositis ramis paulò supra radicē brachiatas, hirsutas, per quas folia ad jun-

cturas

duras bina oblonga, angusta, per extremum nonnihil serrata, minora quàm Sideritidis Fuchsianæ: desinunt autem singuli ramuli in spicas Betonicæ, vel Phalaridis spicarum æmulas, vnciam aut sesquunciam ferè longas, pulchris calycibus in quinos aculeos desinentibus, maioribus quàm vel Fuchsianæ, vel Monspessulanæ Sideritidis, minusque hirsutis densè stipatas, adiacentibus foliis barbatis at ferè spinosis: florum color quis fuerit, non dixerim certò, præsertim cùm iam olim à Valerando Dourez reposita planta quam habeo, propemodum exoleuerit.

Sideritis montana Lobel.

Sideritim montanam (ita namque vocat Lobel. in Aduersit. itemque Icon. Plant. pag. 525. pessimam exhibens effigiem:) satis bellè quadrare arbitraretur Heracleæ Sideritidi, ni folia angustiora multò essent, vique efficaciore carerent. H. Lugd. pag. 1122. inscribit Sideritim montanam Penæ: Casp. Bauh. phyt. Sideritim 9. siue montanam.

SIDERITIS GENVS SPINOSIS verticillis.

CAP. XXVI.

Descriptio

SIderidi affinem plantam vocamus, cui caulis est quadratus, hirsutus, & ad singulos nodos verticillatim circumnascuntur flores, Sideritidis vulgaris floribus similes, candidi, hiantes, non ita exerti, calycibus laxis, duris, in quinque lacinias rigidas spinosas, suprema omnium longè maximam, diuisis: vnicuique autem verticillo, ab imo ramo ad summum vsque fastigium, duo sunt subiecta ex aduerso orta folia, modicâ hirsutie obsita, serrata vt Teucrii, sed nonnihil oblongiora, angustiora. Hanc Cherlerus collegit prope Romam.

SIDERITIS SPINOSA.

CAP. XXVII.

Descriptio

MOntbelgardi in horto Ill. E.C. nobis prouenit ex semine, si bene recordor, Cretico, planta, cui nomen dedimus Sideritidis spinosæ, propter quandam cum vulgari Sideritide similitudinem. Est autem hæc vulgaris foliis vnciâ longioribus, in acumen desinentibus, hirsutis, candicantibus, sibique oppositis: caulibus aliquot dodrantalibus, ramis itidem contrario naturæ vinculo ornatis, in spinas desinentibus non admodum rigidas, etiam hirsutis: plantæ notellæ radix pedalis, simplex, exignis fibris conspicua.

An Gaidarothymo Belli in epistola ad Clusium? An Clus. Stachys spinosa?

PRVNELLA FLORE MINORE, vulgaris.

CAP. XXVIII.

Descriptio

EX reptriciũ cen sueſt & hæc, quæ subinde à cauliũ angulosorum, subhirsutorum, purpurascentiumque geniculis, demissis fibris radicatur: folia ferè bina, ad articulos opposita, nonnihil rubentia, hirsuta, Origani vulgaris, sapore nonnihil viscido, subdulci, subamaro: flores verticillati, duobus semper hirsutis rubentibus subiectis foliis, spicam deformant; quorum singuli colore ex cæruleo purpurascente, Lamii floribus non absimiles, ex calyce hirsuto purpurascente prodeunt cucullati.

Ex Solidaginum genere Brunellam esse auctor est Brunfelsius, vnam ex primis herbis verno tempore germinantium, foliis Ozimo similibus, coloris herbacei, cum quodam acumine: flore quadantenus Sthœchadis Arabicæ, coloris violacei. Hæc ille qui suâ figurâ non laudabili & descriptione denotat Prunellam, de qua hîc agimus, verùm dum vernam facit plantam, cùm ea confundere videtur Consolidam mediam.

Solidago

Hallucinantur Matthioli iudicio, qui Symphytum petræum putant hanc esse plantam, quam is cum officinis Consolidam & Solidaginem minorem vocat, & Prunellam, germanico nomine (vt ait in Hist. germ.) ex latino deriuato, vel à morbo linguæ, dicto Breũne, aut à florũ colore Braũne. Camer. apud Matthiolum refert herbam hanc describi in lib. de Dynamidiis, falsò Galeno adscripto: Quin & Herb. ant. Io. Cubæ de Prunella citat Hippocratem & Dioscoridem, neuter tamen indicat quomodo nominarint.

Symphytum petræum non est.

C. Bauh. phyt. vocat Brunellam 1. siue maiorem folio non dissecto, flore communiter purpureo, vel cæruleo punicante: aliquando ex diluto albo: caule glabro aliis, aliis ac rectius hirsuto: foliis etiam aliquando integris, aliquando leuiter crenatis. Clusius Prunellam vulgarem foliis subrotundis. Trag. Prunellam 6. flore minore, Prunellam vulgarem. Lobel. in Adv. Prunellam & Consolidam minorem: In Obs. p. 251. Brunellam, Symphytum petræum: In Icon. Plant. p. 474. Symphytum petræum & Consolidam minorẽ Matth. Cast. Durant. Consolidam minimam. Quidã Polycnemon Dioscoridis: Valer. Dourez Peristerũ Præpositi: Guilland. Britannicam.

Varietas Prunellæ C. Bauh.

Cæterum

Nomina linguar.

Cæterùm vulgus Medicorum & Herbariorum; Prunellam aut Brunellam: Germ. Braunellin/ & Gottheil ab efficacia insigni: nobilis enim est vulneraria: Belg. Bruynelle: Galli, Herbe au Charpentier: Itali Consolida minore, Morellam, & Herbam Moram: Boh. Czernohlawek: Hung. Teuz fiù.

Vires

Prunellam flore minore purpureo Argentinæ & Basileæ, quà itur Moutets, florentem obseruaui Octobri; ad fluuium Birsæ intra vrbem, & circa montem propè Krentzach, & in monte Leurach, itémque Montbelgardi passim in pratis Iunio, Iulio & Augusto; Lugd. & Monspelij Maio: Geneuæ sparsim virentem Februarij principio.

Locus & Tempus.

Brunellam more reliquarum Solidaginum, omnibus ferè cognitam aut Brunfelsídque ob eximiam eius virtutem: esse incómodis faucium & linguæ atque gutturis accommodatissimam, ardorem eorum extinguendo, quem Germani die Breune vocant, si ex illius decocto, aut aqua distillata colluantur & gargarizentur: Aquam [succum alij,] eius aceto & oleo rosato mixtam, vehementes capitis dolores sedare, si ex ea tempora inungantur: Huic mixturæ autem posse & aquam rosatam addi. Aphthas & oris vlcera sanare, fauciúmque vitia succum eiusdem, addit Fuchsius, qui herbam calidam & siccam esse, ex gustu concludit: Laudatur Prunella ad vulnera sclopetorum in potione & lotione: succus cum vino sumptus ad morsus venenatorum. Sal eius vt fiat, docet Quercin pharm. rest.

Prunella flore magno, folio non laciniato.

Descriptio

HAbet caulem quadrangulũ molliter hirsutum, geniculatum: folia in singulis geniculis bina, ex aduerso sita, nonnihil villosa, vulgaris Prunellæ foliis fermè respondentia, gustu amaricante: capitula in summis caulibus crassiora, quã in vulgari: flores illius floribus forma quidem similes, sed longè maiores, nec ingrati odoris, ventre laxiore, galeaque saturatiùs plerúmque purpurascente, tametsi inueniantur aliquando dilutiores, & quasi exalbidi, interdum etiam subcinerei coloris: semina in singulis vasculis, vt plurimùm quaterna: radicem nigram: multis crassiusculis & candicantibus fibris præditam, nouísque propaginibus sese, annis singulis, augentem.

Tempus.

Iconi

Quamuis Fuchsiana nostra figura videatur differre à Clusij Prunella 1. siue non vulgari, eiusdem tamen plantæ existimamus, ac propterea eius descriptioni hîc adiunximus. Nec etiam à Clusiana icone separamus Prunellam tertiam Tabernæmontani, quamuis eius compilator suo more nihil distinctè scribat.

Locus

Eadem quoque est Prunella 6. Tragi, siue ve-

ra, pulcherrimo, magno & purpureo flore, foliis Menthastrum imitantibus.

Eam primùm in Vngaria & Austria, deinde etiam multis aliis Europæ prouinciis nascentem inueniebat Clusius, editioribus & gramineis locis, minùs tamen vberem & luxuriantem, quàm quæ in Austria crescit. Floret Iunio, Iulio & Augusto, & subinde semen profert. Circa Montbelgardum copiosè luxuriat.

Prunella flore magno albo, folio laciniato.

Descriptio

TOta planta vix quatuor digitos excedit, foliis superioribus admodum dissectis, hirsutis, flore magno albo, alioquin vulgari similis.

Locus.

C. Bauh. phyt. Prunella 5. siue minima alba, An Prunella 7. siue candida altera Tragi? Montbelgardi prope Arbouans & in planitie prouenit quà itur Adincourt, in agris ad Dubim: Geneuæ circa Rhodanum versus *la Bastie.*

Prunella laciniata, flore magno purpureo.

Descript.

CAule est palmari; hirsuto, cuius singulas iuncturas ornant bina ex aduerso posita folia, inferiora quidẽ vnciali pediculo nixa; superiora proportione minori, tandem etiã nullo, vnciam & sescũciã ferè longa, subhirsuta, in aduersas lacinias dissecta: flores inter spicæ vncialis squãmata folia subrubentia, emicant magni, tres vnciæ quadrantes æquantes, hiatu patulo stamina emittentes, purpurascentes.

Varietas Locus & tempus.

Obseruata Prunella hæc, folio etiam non laciniato, flore maiori purpureo, Montbelgardi iuxta hortum Ill. E. C. florens Iulio & Augusto: item à la Chau vbi Vites, & inter pontem Vauiaucourt à Dampierre.

Prunella flore albo paruo, folio laciniato.

Descr.

OFferebatur nobis à D. Thoma Platero, Medico insigni, elegãtiq;. Ei folia erant multa à radice fibrosa, ex longis pediculis, quædã palmaria, oblonga, vnciã digiti angustiora, pilosa, vltra medium caulis pedalis duo, magnis laciniis dissecta, cornu ceruinum repræsentantia, itẽq;

alia duo iuxta florum caput vnciam & semis longum, latum vnam, paucioribus laciniis praedita: flores inter squamas conspiciuntur hiantes, albi, & nonnunquam rubelli, mediocriter eminentes.

Synon. Lobel. in Obs. p. 251. in Ic. Plant. p. 475. effigiem nostrã pinxit pro Symphyto petræo: Dod. lat. in fol. pro Brunellæ altera icone. Quamuis autem nostra descriptio non in omnibus conueniat cum figura hac nostra ex Lobelio desumpta, eandem tamen plantam putamus, quam cùm pingendam curauimus, non erat nobis ad manum Plateriana.

Compilator Tabern. Prunellæ suæ albæ secundæ ineptam descriptionem subnectit in Historia. Casp. Bauh. phyt. dicitur Prunella 3. siue minor folio laciniato, aliquando non solùm superiori, sed & inferiori. Clusio dicitur Prunella 2. non vulgaris.

Gaudere autem herbosis & gramineis locis, itemque aliis, quæ à fluminibus nonnunquam mundantur, saxosis, testis est idem Clusius. Floret maturiùs Prunellâ flore magno, nempe Maio, tametsi etiam Iunio. Obseruauimus autem Monspelii & Geneuæ.

PRVNELLA ANGVSTIFOLIA.

CAP. L.

Descriptio

NOstrę vulgaris notitiæ Prunellæ similis caulis, dodrantalis, angulosus, nonnihil rubescit, pilis hirsutus, sicuti & folia ex geniculis aduerso situ nata, sextantalia aut etiam quadrantalia, culmo latiora, ex quorum alis alia suboriuntur vt longitudine, ita & latitudine multùm illis cedentia: flores in spicam digesti rubescunt, forma & magnitudine Prunellæ vulgaris. Talis est quæ à Genero nostro Cherlero nobis delata ex Gallia Narbonensi: quæ verò à D. Thoma Platero communicata, angustifolia etiam, minor fuit, quatuor & quinque vnciarum, satis aspera & rigida, sapore nullo insigni: radice fibrosâ, crassiuscula, nonnihil amarescens: floribus maiusculis.

C. Bauh. in phyt. vocat Brunellam 2. siue minorem folio rigido integro: floribus obscurè purpurascentibus. Huic figuram Prunellæ albæ 2. apud Tabern. satis cõuenire diceret, si folia essent media parte angustiora, & etiam longiora.

PRVNELLA ITALICA.

CAP. LI.

Descriptio

PLantula hæc palmaris, caule rotundo, striato, leuiter hirsuto, foliis paucis profundè in aliquot lacinias diuisis cincto, quorum inferiora minora, & in ternas lacinias diuisa sunt, flores habet in summo, tanquam ex spica [quam foliola etiam laciniata cingunt] prodeuntes galericulatos, ex purpura nigricantes, rariùs enim infra spicam flores profert: radix exilis, nigricans.

Casp. Bauh. descriptionis author vocat in phyt. Brunellam 6. siue Italicam, testaturque Vlyssem Aldroandum Bononiensem Botanicum Euphrasiæ speciem facere. *Brunella Italica.*

Locus Romæ in monte Testaceo & etiam in via Romana reperiri scribit author.

CONSOLIDA MEDIA, QVIBVSDAM Bugula.

CAP. LII.

Descriptio

QVadrato, inani, hirsuto, & aliquãtulùm cyaneo assurgit caule: foliis Anagallidis aquaticæ maioris, nonnihil serratis, binis oppositis, per interualla nascentibus, colore vel violaceo, vel purpurascẽte, vel virente, sapore primo occursu subdulci, mox amarescente & adstringente, inferioribus ex satis longis pediculis, ad Bellidem accedentibus: clematibus longè se spargentibus: flores ex foliorum alis calyci insident sessili, breui, hirsuto, cyaneo, quinquepartito, cærulei variati, labello Orchidis alicuius simile, in quatuor segmenta, duo lateralia productiora, inferiora totidem, minùs alta, sed magis lata, abeuntes, nullâ galeâ, aliisue vt Orchides & Lamia: apicibus & stylo cyaneis: sapore melleo, si caudicellam, qua calyci hæret, suxeris: radix tenuis, fibrosa, maiore adstrictione, quàm folia, gustum mouet.

Duas has Fuchsianas icones exhibemus non quòd eiusdem planta esse ignoremus, sed quòd huius herbæ frequentem demonstrent varietatem

tem & naturæ lusum.

Consolida media C. Bauh.

Prunellam vocat Tragus, eiúsque, aliquot recenset & describit species. C.Bauh.phyt. vocat consolidam mediam 1.[5.& apud Matth.]siue cæruleam pratensem, Consol. mediam Brunfelf. fol.p.95. Tom.1. Rhapf.14. & in 4.p.153.cæruleam vel priorem Tragi sine icone, Chamæcissον spicatam Plinij, eiusdémque Anonymon aliorum: flore communiter cæruleo,aliquando albo,cinereo:foliis vel solùm leuiter incisis,vel sinuatis,latioribus, angustioribus: Item Consolidam mediam tertiam siue purpuream pratensem;Brunellam purpuream vel 4. Tragi, Consol. med. purp. Fuchsij. Consolidam mediam i.e. Symphytum, inquit,in Adu.Lobel. Chirurgi vocarunt,seu Solidaginem & Bugulam. Is verò in Obseru.& Ic. Plant. Prunellam & Herbam sacram Cordi vocat.

Bugula Dod.

Dod.gall.& lat.in fol.pingit & describit sub Bugula. Inter appellatas, ait, Solidagines siue Consolidas à recentioribus numeratur: Consolida media à quibusdam horum dicitur, officinis nostratibus Bugula. Ruellius Buglum nominari à Gallis refert. Sunt qui existiment Symphyti illud genus esse, quod à Dioscoride πηγαῖον cognominatur. Verùm hi non parum falluntur. Symphytum siquidem petræum ramulos tenues habet Origani similes: capitula verò veluti Thymi, & totum lignosum & odoratum est, at talis quidem non est Bugula, quæ nec lignosa,nec odorata, & caules promit differentes ab Origani,& capitula nequaquam habet Thymi æmula. Hæc Dodonæus, qui eius duntaxat Bugulæ meminit, quæ floribus est cæruleis.

Haud statuendum censet etiam Matthiolus Symphytum petræum eam esse herbam,cuius folia auersâ parte purpurascunt, quæ ab Herbariis vulgò Consolida media nuncupatur,ab aliquibus verò Laurentina, & à Senensibus Morandula. Cæterùm, rectiùs fortè Prunellam à Germanis dici posse putat à foliorum colore,indictam Græcis & Mauritanis.Is olim in prior.comm.contentus fuit solâ figurâ minùs exactâ,sed in post.edit. breuem addidit delineationem, in qua non meminit saporis, nec clematum, quæ nostræ duæ figuræ vnius plantæ exprimunt,quarum vna sufficisset,si non plantæ huius lusum aliquem naturæ ob oculos ponerent.

Consol med. multis.

Camerarius etiam ad suam Hist. germ. & Epit. Matthioli longè diuersam posuit iconem sine clematibus: Quin & Tabern. huius Consolidæ mediæ duas effigies dedit, quarum prima flore cæruleo, sine clematibus non placet: secunda, quam priori similem ait, sed foliis maioribus, hirsutioribus, minùs serratis, Verbasco maiori similibus,an bona sit, te iudicem exspectamus.

Quam cum aliis, etiam Fuchs. Cast. Durantes & Thalius Consolidam mediam dicunt, Lonic. Prunellam & Symphytum medium vocat, Anguill.epist.13.Arteticam Pandectarum, H.Lugd. p.1309. Chamæcissum quorundam, Cæsalp.Chamæcissi alterum genus, Gesn.in cat.pl. Verbenacam supinam, Herbam sacram,& ἱερὸν βοτάνην: German. Guntzel / gulden Guntzell / Belg.Senigroen / Ingroen / Galli *Consolide*,quidam *Bugle moyenne*: Quercetanus in Sclopet.*Consyre moyenne*, & cum nonnullis *Sophie*: Itali, vt antè diximus, *Morandola*, *Consolida Mezzana*, & Herba, *Lorenza* & *Laurentina*: Boh. Swalnyk prostreduy.

Herba sacra. Nomina linguarum.

Saxosis, non rarò quoque humidiorib. pratis: apricis & apertis vineis, quàm opacis locis gignitur: translata ad hortos luxuriat: compluribus regionibus familiaris, Aprili, sed copiosè Maio ac posteriùs florens. Patauij virentem memini in quodam horto Ianuario: Basileæ in vineis propè Moutets ad montẽ flore purpureo Octobri: Montbelgardi flore albo in horto Illust.E.C. *Locus & tempus.*

Aquam Prunellæ scribit Tragus (sic enim Bugulam vocat, vnà cum ea quæ aliis vulgò Brunella dicitur:)internis corporis affectionibus mederi, doloréque ex calida intemperie profectos sedare: eadem omnia tam inueterata quàm recẽtia vulnera mundari & sanari comodè posse, maximè tum quando ardor siue inflammatio aliqua illis accesserit.Eandem hodie ardori gulæ &exulcerationi oris, fauciúmque vitijs,quam Germani die breune appellant,duntaxat adhiberi remedio sanè præstantissimo, si gargarizetur,adiecto pauxillo mellis rosati: flores,vel folia, vino,vel melle decocta (pro ratione ægritudinis) oris & faucium commemoratis vitijs subuenire. Hæc ille tam de Prunella vulgò dicta, quàm de Bugula,de qua sermo, coniunctim. *Fuchsius* verò priuatim Bugulæ has vires attribuit: Vulnera glutinat, sanguinis grumos ex casu, vel cõtusionib. coactos in corpore dissicit & dissoluit,præsens remedium est aphtis & vlceribus in ore serpentibus, decoctum huius tumoribus illitum, eos dissipat! vsus etiam eius ad intertrigines, & ad vlcera pudẽdorũ & intestinorũ exulcerationes prodest.At *Matthiolus*, tametsi nec hanc, nec Prunellam recentioribus dictam,veteribus siue Græcis,siue Mauritanis cognitam fuisse existimet,eas tamen refert mirum in modum existimari vtiles diruptis, fractísque internis, & externis corporis partibus: idcircò vtiliter dari potandas ab alto deuolutis, ac etiam iis,qui interna intestináve vulnera acceperint: námque illa, mirificè sanare tradidêre nonnulli, qui rerum experimenta profitentur, Consolidam mediam vocatam potu sanguinis grumos in ventriculo, vel in alia corporis parte concretos dissicere & dissoluere: illita verò folia, vel eorum succum efficax medicamentum esse prædicant vlceribus in ore manantibus exedentibúsque, ac etiam testium,pudendorúmque virilium & muliebrium. Addit *Camerarius* contra icterum prodesse,& infarctus iecoris & lienis expedire, vrinas mouere, succum ad aphthas & putrescentia oris vlcera vsurpari: quibus subscribit *Lobelius*, nisi quòd regio morbo & ictero nigro mederi docet,vesicâ felleâ,hepate & liene ab obstructione liberis. Camerario tamen adstipulatur *Dodonæus* ad iocinoris languores scribens mederi, nam præterquam quòd obstructiones aperiat, viscera etiam ipsa roborare. Calidi verò temperamenti admodum exigui particeps est: refriccat manifestè cum nonnulla adstrictione. Quare commendatur ad disrupta, fracta, conuulsa, cæsáque: idcircò & potionibus vulnerariis additur, in quibus tanta eius facultas commendatur, vt sanguinem concretum resoluere ac discutere valeat. *Ruellius* tandem in Gallia vulgò dici refert, eum vulnerario Medico, aut Chirurgi operâ non egere, qui Bugulam & Saniculam habuerit: nec enim sumptam tantummodò vulneribus mederi, sed & ipsis foris impositam. *Vires & vsus.*

* * *

Consolida media Genevensis.

Descriptio.

AVulgari antè scripta nobis hæc diuersa videtur, caules siquidem habet ab vna radice plures, hirsutiores: folia etiam minora, oblongiora, & superiora profundiùs crenata: flores modò purpureos, modò rubellos, modò albos: an clemata habeat non obseruauimus.

An Prunella quædam Trago?

Locus & Tempus.

Genevæ virebant Martio, vbi etiam quædam florebant & Aprili, alba quidem rarior, circa Nosodochium in prato dictum *la coul*.

Consolida media cærulea Alpina.

Descriptio

EX radice fibrosa caulis cubitalis [omissa hæc vox in phyt.] quadratus, striatus, leuiter hirsutus, inanisque consurgit, quem folia oblongis pediculis donata, angusta, trium vnciarum longa, per ambitum incisa, leuiter hirsuta [ex his errorē in phyt. commissum deprehendis, vbi legitur, folia oblongis donata pediculis, qui angusti sunt, trium transuersorum digitorum longi, per ambitum incisi, leuiter hirsuti, sursum spectantes,] cingunt: flores galericulati, cærulei (in caulis summitate flores tanquam in spica cærulei, in phyt.) è quorum medio filamenta quædam prodeunt, in cacumine quasi spica congesti sunt, inquit descriptionis author Casp. Bauhinus, qui Consolidam mediam [secundam in phyt. sextam apud Matth.] siue cæruleam alpinam vocat. Cæterùm, figura à Camerario apud Matthiolum in Hist. germ. & Epit. exhibita, similia quædam habet cum Consolida hac à Fratre C. Bauhino hîc proposita: nos damus effigiem à Fratre pictam, & iuxta eam, quæ ab eo nobis communicata. Videtur autem fratris Consolida in eo à Genevensi differre, quòd minùs hirsuta, & folia per caules longiora, & magis, ordinatiusque serrata.

In monte Italiæ Baldo prouenit.

EVPHRASIA.

CAP. LIII.

Descriptio

PAlmaris plantula est, tenuibus, subhirsutis virgulis surgens: folia denticulata Chamædryos, sed triplò maiora, crispa & auersa parte hirsuta, bina ex aduerso posita, sapore pingui & subamaro: ex quorum alis flosculi emicant pulchelli, lactei, purpurantibus striis picti, aspersâ nonnullâ flauedine, labello in tres bifidas lacinias diuiso, superiore folio sursum reflexo, tripartito: radix tenuis, lignosa.

Synonyma

Cum Euphrasia hac eandem statuo, quam Tragus Euphrasiæ titulo pingit, quamque Euphrasiam alteram, nobilem, & Argentinensium cognominat, licèt ille diuersam à vulgari faciat, semperque omnium præstantissimam iudicet.

Lobelius huius effigiem exhibet sub inscriptione in Obs. pag. 261. Euphrasiæ Aduers. pag. 210. In Ic. Plant. pag. 496. pro Euphrasia, siue Euphrosine oculari. Brunfels. Eufragia alba: Schvv. Euphrasia candida: Casp. Bauh. phyt. Euphragia 1. siue officinarum: H. Lugd. pag. 1167. Eufrasia Matthioli.

Euphrosyne Dalech.

Cæterùm, Euphrasiæ nomen græcam sapit originem, inquit Dalechampius: videtur namque εὐφροσύνη appellata fuisse, quia oculos iuuet & delectet, quam vocem imperiti linguæ græcæ deprauantes, in Euphrasiam verterunt, eamque sic corruptam officinæ & plurimi alii retinuerunt. Alii quoque Eufrasiam & Eufragiam. Etsi autem græco & eleganti donata fuisse videatur Dalechampio hæc herbula nomine, nihil tamen de ea, quod sciam, apud veteres Græcos & Latinos, nempe Dioscoridem, Galenum, & Plinium, addo etiam apud recentiores, Aetium Paulum, & Actuarium scriptum reperitur: sed à ducentis tantùm vel paullò plùs annis posteritati Euphrasiæ nomine innotuit, ad oculorum caligines & morbos pituitosos peruagatæ commendationis. Vnde Germanis **Augentrost**, hoc est, Oculorum solamen, siue solatium, ab effectu, dicta fuit, nonnullis hâc quoque ratione motis, Ocularis, Ocularia, Ophthalmica [ὀφθαλμικὴ] Oculorum lumen, ὀφθαλμοδουλία, & Anguill. teste Luminella, Germ. **Augendienst / weisse leuchte / tagleüchte**, & **wegenleuchte**. Belgæ **Ooghen trost**: Galli *Eufraise*, & *Eufrase*: It. & Hisp. *Eufragia*, & *Eufrasina*: Angli **Eyebricht**: Boh. **Ambrozka**: Hung. **Effrasia**. Non est igitur quod posteriores εὐφροσύνην, Euphrosynen nominent. Aliud siquidem est εὐφρόσυνον, ipsum videlicet Buglossum. Eur. Cordus putat esse *Adhil* Arabum, de qua tamen Neoterici

varias

varias habent sententias, aliis Euphragiam Cassilaginem esse putantibus, aliis Herbam Verulam interpretantib. Vide Nicol. & Manlii de confect.

Locus. Nascitur locis herbosis, non omninò aridis, sed nonnihil humentibus & pinguibus, sed incultis, vt pratis, secus agrorum margines & vias, nec rarò in ipsis quoque viis passim, vt vel hac ratione facilè agnosci queat. Floret autem Æstate & Autumno: colligitur Augusto ac Septembri potissimùm, totáque resiccata deinde reponitur.

Vires & Vsus. Euphrasiæ inflammationibus, & caligini oculorum adhibentur, tusæ ac impositæ, aut succo eius oculis indito: præstat tamen aquâ ex illis distillata aduersus affectiones prædictas vti. Ego certè, inquit Tragus, Argentinensem Euphrasiam morbo arquato vtilissimam comperi, vino decoctam, ac calidam ægro propinatam. Memoriam etiam, teste Fuchsio, oculorúmque aciem redacta in puluerem, & in vino albo pota, mitificè roborat, amissámque reparat. Dari ad prædictos affectus commodissimè scribit Dodonæus in puluerem tritam: addíque non rarò Fœniculi semen pari pondere & nonnihil Macis, & sacchari tantùm, quantum est omnium simul pondus: huius mixturæ cochlear aut per se, vel cũ exiguo vino exhiberi manè corpore jejuno, & quidem per continuos non modò dies, sed & menses quandoque posse & solam, & quouis modo assumptam, videndi potentiam conseruare, adaugere, debilem ac deprauatá restituere. Eufragiam per se solam masticando, & in ore tenendo, ac postea deglutiendo expertus est Arnoldus mirabile iuramentum. Idem auctor est fieri & ex Eufrasia vinum vindemiæ tempore, cuius vsu senum etiam oculi rejuuenescere feruntur, auferríque omne oculorum impedimentum, visúsque defectionem, præsertim pituita, crudísque humoribus redundantibus. Dum autem efferuescit mustum, Euphrasia injicienda. Calida autem & ficca est herba, sed tamen magis ficca quàm calida.

EVPHRASIA PARVA PVRPVREA.

Descriptio. TOta palmarem non assequitur altitudinem, coliculo aliàs singulari, tereti, hirsuto, aliàs à radice statim duobus minoribus spicâ vnciali aut longiore summum ornante, flosculis stipata purpurascentibus, alternante cum foliis imbricatis situ, cuiusmodi & alia foliola circa imum caulem conspiciuntur, sed supernis latiora summo tenus, serratim secta, pro radicibus sunt multifidæ, duriusculæ, pili instar tenues fibræ: secundam Dodonæus fecit, inquit Lobelius in Obs. pag. 22. qui postea p. 261. eam pro Euphrasia 2. Dodonæi (sic etiam in Icon. Plant. pag. 496. inscripsit) siue Cratæogono altero quorundam pinxit.

Describitur bis apud H. Lugd. binisque iconibus exprimitur, priori p. 1121. pro Sideritide pratensi rubra: posteriori p. 1167. pro Eufrasia secunda Dodonæi, quæ icon melior.

C. Bauh. phyt. vocat Euphrasiam 2. siue pratensem rubram: Thal. Ericoides rubrum, vulgò Triticum leporinum.

Montbelgardi abundat in agris florens Iulio, Augusto, & Septembri. Huius varietatem flore niueo, rotámque candidiorem reperi Septembri inter Villarsuxel & Grammont in Burgundia.

De temperamento, aut facultatibus aliis nihil attulit Dodonæus.

CORIS MONSPESSVLANA LVTEA.

CAP. LIV.

Descrip. SImplex & lignosa est radix caulis singularis cubitalis, lignosus, teres, ramis aduersis diuisus, duris, lignosis: folia inferiora quidem Hyssopi foliis similia, vtcunque angustiora, acuminata, caduca; superiora verò tenuia, Ericæ arborescentis æmula: ramuli longas gestant spicas hiantiũ flosculorum luteorum, cum multis apicibus, flosculis singulis subiectum foliolum, sapor acris cum amarore: Folia & caules interdum omninò rubent.

An Cæsalpino Crista altera ad Euphrasiam reducenda? An Lobel. in Adu. Sideritis odora pusilla? Thalio dicitur Ericoides luteũ pro Cori ostensum: H. Lugd. pag. 1121. Sideritis pratensis lutea: Camer. hort. Euphragia flore luteo, à Lobelio descripta; item apud Thal. Euphrasia lutea Dodonæi: C. Bauh. phyt. Euphrasia 3. siue pratensis lutea.

Locus & Tempus. Monspessuli mense Augusto floret in monte prope Castelneuf loco sicco & saxoso, tota rubella: Basileæ lutea in monte Marchionatus prope Leurach Augusto: Frater etiam in pratis prouenire ait.

SYMPHYTVM PETRÆVM veteribus.

CAP. LV.

Dioscoridis lectio Sarrae illustrata. SYmphytum petræum nascitur in petris: ramulos habet Origano similes, tenues, capitula veluti Thymus [χλωρία δὲ ἔχει ὅμοια ὀριγάνῳ, λέπτα, φύλλα: ita κεφάλια δὲ ὡς θύμου: & ita legit Oribas. itẽq; vulg. Sed Sarr. ex Ald. addit post λεπτὰ vocẽ, φύλλα cod. vt lectiosit, ramulos Origano similes, tenuia folia, capitula verò, &c. Matth. cõtra legẽdũ suspicatur, κεφάλια δὲ καὶ φύλλα ὡς θύμῳ, hoc est, capita & folia Thymi: Anguill. tandem legendum vult, φύλλα καὶ κεφάλια: nos communem sequimur, quam etiam Ruell. & Marcell. approbant.] Totum verò lignosum, odoratũ & gustu dulce est, saliuamque ciens [πτυέλου κεχοκληπικόν. Sic & Plin. & Apuleius. Et hâc certè ratione ἄδιψον esse crediderit Sarrac. attamen pro iis vocibus apud Oribas. legitur συπλικόν, quæ lectio Matrhiolo in prior. comm. probatur, in post. tamen lectionem Dioscoridis, non Oribasii retinet:] radice nititur longâ, subfuluâ [καπνόχρων, Orib. καπνῶδες, Plin. rutilam describit, Apuleius fuluam:] digitali ferè crassitudine. Decoctum in aqua mulsa & potum, quæ pulmoni

hærent excrementa repurgant: sanguinem reiiciẽtibus ac nephriticis cum aqua exhibetur. Bibitur & ad dysenteriam, rubentemque fluorem muliebrem in vino decoctum, vti ad conuulsa, ruptaque cum aceto mulso. Quin & commanducatum sitim sedat: faucibus asperis subuenit, illitum recentia vulnera glutinat, & enterocelas cohibet. Quin & carnes, dum coquuntur, conglutinat additum.

Symphyton petræon cõtrariis Galeno.

Symphyton petræon ex contrariis constare viribus lib. 8. simpl. dixit Galenus: habet siquidem siccandi vim quampiam, quâ collectum in thorace pulmoneque pus expurgare potest: habetque etiam quandam contrahendi vim, quâ iectionibus sanguinis auxiliatur: & tertia insuper inest humiditas quædam non immodicè calida, per quam gustantibus dulce apparet, & odoratu iucundum. Mansum sitim extinguit, & arteriæ asperitates sanat.

Hermol. coroll. 618. proponit descriptionem Symphyti petræi ex Plinio, quasi propria esset: addens Venetos Cotoneam appellare ex Plinio: rosæ radicis, alibi albæ, alibi nigræ. Hîc notandum Hermolaum in prima edit. Ital. & in Colonienſi legere, rosæ, vbi Plinius noster habet raræ.

Cornarius, qui & ipse raræ legit, in comm. med. in Galeni librum 1. caput 5. τῶν κατὰ τόπες, ab ipso scriptis per Cydoniam herbam Alum & Symphytum petræum intelligit, eò quòd Plinius Cotoneam appellare Venetos Alum prodidisset.

Cæterùm Symphyti, Solidaginis & Consolidæ nomina plurimæ habent plantæ. Symphyt. petræum Matth. Coris cærulea Monspessulana. Coris lutea Monspessulana. Gypsophyton. Saxifragia maior Matth. Symph. petræum Cordi. Trachelium minus. Trachel. album. Hyssop. vulgare. Polium vulgare montanum. Sanicula. Prunella. Consol. media. Virga aurea. Centaurium. Flos Solis. Bellis maior. Symphytum magnum: Radice tuberosâ. Pumilum repens. Pulmon. Italica. Coralloides. Helenium. Nicotiana. Tragus verus. Glycyrrhiza.

CORIS MONSPESSVLANA, purpurea.

Cap. LVI.

Descriptio

MOnspessulanis Coris appellatur concinna planta, quæ ex *radice* crassa, lignosa, nigricante, quamplurimas per terram sparsas emittit virgulas, vt vix vtraque manu coactas omnes possis interdum complecti, palmares aut bipalmares, tenues, rubentes: per quas folia densissima, Thymi foliis quodammodò similia, sed longiora, æquabili vsque latitudine, & Thymi foliis minùs nigra, summæ virgulæ spicas sustinent vncias circiter duas longas, Thymi vulgaris vel Serpylli, crassiores, confertissimis floribus stipatas, immortali purpurâ cæruleoue arridẽtibus, hiantibus, è quatuor foliis compositis, bifidis omnibus: quibus succedunt calyces parui, in aculeos exeuntes, semen continentes paruum, nigrum: nullum ego in vlla parte plantæ, siue odorem, siue saporem manifestum sentio.

Coridis huius Monspelienſis figuram de meis

plantis siccis Gesnero communicatam, apposuit Camerarius in Epit. capiti Symphyti petræi Matthioli, itemque apud Matth. in Hist. germ. vbi Symphytũ petræum, Cõsolidam petræam, & Alũ Plinii cognominat, germ. Steingünfel.

Mompelliani referente Clusio Corim hanc quorundam, Gallorũ sc. & Hispanorum [sic namque is inscribit] eam esse existimabant quam Græci κόριον καὶ κορίκιον appellant, cuius sanè descriptioni multis notis respondere credit.

Lobelius [qui in Obs. pag. 220. itemque Ic. Plant. p. 402. figuram Clusii habet, ac aliam ex Aduersariis] Corim suam Monspeliacam, nisi aptissimè quadraret, Ericam miniman putasset, aut mediæ cuiusdam inter Hypericum & Aiugam naturæ. Iam non aliò quàm ad Corim referri arbitratur, posseque nos adducere ad Symphyti persuasionem, verùm morosis non omnia penitùs quadrare videri. An autem Coris Dioscoridis sit, vt voluit Lobelius, affirmare nondum ausim, nec etiam Symphytum petræum asseruerim.

Coridem Monspeliacam, vt Tabern. quoque inscribit, vocat germ. Erdkiffer von Mompelier: C. Bauh. phyt. Corim 3. siue cæruleam maritimam cum Symphyto petræo Matthioli, exceptâ radice lignosiore, optimè conuenientem. Apud Matthiolum Frater longè alterius est opinionis: ait enim Symphytum Matthioli minimè cum Coride cærulea maritima confundendum esse, siquidem Coris amara sit: flores purpuro cærulei rariùs purpurei. Coridis quin potiùs à Dioscoride & Plinio propositæ notas plures habere credidit.

Florentem copiosè vidi Monspelij apud littus maris, Vere, itémque Venetiis: C. Bauh. ad montis Ceti radices, Maio. Floret Maio, inquit Clusius, nonnunquam etiam Martio mense, siccis quibusdam circa Salmanticam & Mompelium locis maritimis, item Valentinæ & Galliæ Narbonensis, vbi tota maior, crassior & succulentior nascitur, vt ferè solent omnes maritimæ stirpes, si cum eis, quæ macro & arido solo proueniunt, comparentur.

Locus & Tempus

GRATIOLA.

Cap. LVII.

VBertim luxuriant huius *radices*, pennæ anserinæ crassitudine, obliquè reptantes, albæ, crebris geniculis nodosæ, à quibus plurimæ demittuntur fibræ, albæ: *caules* plures dodrantales surgunt, teretes, propter tenuã rubentes, superiùs ex albido

Descriptio

sex albido vire. scētes, creberrimis geniculis distincti, ad quorum singula *folia* bina Saponariæ minora, nonnihil in ambitu crenata, nascuntur, & ex eorū alis, modò surculi foliis Hyssopi minimè crenatis donati, *modò* flores singulares, striati, oblongi, colore quà pediculo semunciali & lōgiori committuntur subflauo, per reliqua albo, excepto folio, ex quatuor quæ habet, supremo sursum reflexo, quod interna parte lanuginem luteam ostentat, insidet autem totus flos calyculo quinque partito, cui bina foliola Hyssopi apposita: porrò autē pericarpium ex rotundo oblongum est, semen continens minutum: Tota planta insigniter amara est, & inodora, quadam cum obscura adstrictione.

Matth. reprch. Matthiolus, si Ruellium intellexisset, facilè ex eius Gratiæ Dei descriptione collegisset, eum de planta à nostra aliena, Elaphoboscō scil. scribere. Crediderunt nonnulli [inquit Commentator] herbam hanc quæ vulgò ab aliquibus Gratiola vocatur, ab aliis Gratia Dei, quibusdam etiam, vt à Foroiulienſibus, *Stanca cauallo*, quòd equi eius pabulo mirè defatigentur, esse Hyssopum illud montanum, de quo Mesues in suis scriptis mentionem fecit. Sed ij omnium ferè iudicio, euidentiùs hallucinati sunt, quàm pluribus demonstrare sit opus. Qui verò [cum Quercet. & Cordo] Mesues Eupatorium esse contendunt, omninò cæcutiunt. Sed & Ruellij sententiam explodendam putauerim, si per Gratiam Dei, eam plantam intelligit, de qua disserimus. Hæc Matth. qui passim Gratiolam vocat: Nos dicimus Ruellium Elaphoboscum per suam Gratiam Dei intelligere. Et hęc occasio est, cur Amatus in Dioſc. in Italia longè aliam herbam, quàm in Gallia pro gratia Dei indicari dicat.

Lymnesium Cordi. Cordus plantam nostram Limnesij siue Centauridis titulo describit in Hist. vbi pulchra figura à Gesnero addita. Dodonæo videtur species Centaurij minoris. Anguill. epist. 14. proponit discutiendum, an Gratiola, Semen vomitiuum hodie in Syria dictum, sit Papauer spumeum: Gilbenech Auicennæ eius nuncupans semen.

Gratiola Lobel. in Aduers. & Obs. p. 238. itemque Ic. Plant. pag. 425. Gesn. hort. Gerard. & Tabern. vocant Gratiolam, germ. wild Auwin/hegde hyssope:

Gratiola cētauroides Varietas C. Bauh. C. Bauh. phyt. Gratiolam centauroidem, variantem flore purpurascente, albo, rariùs luteo: foliis aliquando integris, frequentiùs tamen crenatis. *An frater* hanc floris varietatem, itémque foliorum ipsemet obseruarit, suo tempore monebit. Matth. sanè florem in purpura albicantem perhibet, Dod. verò album.

Locus & Tempus. Ego flore subcæruleo copiosam inueni Genuæ secus viā, & in prato inter Bourdigni & Thuiri florētem Iulio: abundantem in prato watwillen; & Bolwillen. Nascitur Ebroduni in locis humidis, præcipuè in pratis palustribus, Iunio, Iulio & Augusto florens. Prouenit quoque spontè vliginosis & palustribus locis Germaniæ, nec non Italiæ: Belgis hortensis est, eodémque tempore cum flore reperitur.

Vires & Vſus Excalfacit, siccat, incidit, attenuat, aperit, deiicit, abstergit, aluum vehementer purgat, tam recens, quàm sicca sumpta, bilem pituitámque trahit: vulneribus celeriter medetur, ea glutinando, trita & imposita, authore Matthiolo. Est autem, vt amarissima, ita etiam temperie excalfactoria & resiccans, eximiam simul expurgandi, cùm per superiorem, tum per inferiorem ventrem potentiam obtinens, teste Dodonæo: Educit verò non modò lentam pituitam, verùm & crassam flauam bilem. Prodest aduersus diutinos coxendicis dolores, & aduersus inueteratas febres, siue tertianas, siue erroneas: iecur & lienem expurgat, ab obstructionibus liberat, ventris lumbricos pellit, putredinibus aduersatur: Dosis maceratæ aut decoctæ est à drachma vna, vel una & semis, ad duas vel amplius paulò.

Bouius ad quartanæ febris curationem mirè extollit eius decoctum. Gesnerus Gratiolæ succi vsum ἰσοδύναμον elaterio futurum arbitratus est. Herbæ verò tritæ scrupulum vnum & scrup. i. & semis cum Rob acinorum Sambuci post horas quinque, copiosè suprà infraque, mirè phlegma & aquas detrahere retulit, sed non sine molestia: Et hinc in pilulis cum Zingibere, sale gemmæ, & Cinnamomo; vt citiùs agat, & minùs offendat ventriculum, Gratiolam propinandam suadet. Rulandus ad ischuriam pro potu exhibet decoctum eius. Cordus affirmat eam purgare egregiè bilem & pituitam, nihil interanea lædentem: quoniam horribili isto ac ingrato odore, quo cætera purgantia medicamēta prædita sunt, careat. Recitat Bouius in Flagello, historiam de pane, quo multorum alui commotę, quia fornax repurgatus & mundatus Gratiolæ fasciculo fuerat, & in eo combustus. Medicus quidam haud vulgaris, non contemnendo consilio, loco pulueris Gratiolæ, eiusdém que decocti, salem extrahendum consulit, eóque prædictis in morbis vtendum.

GRATIOLA ALPINA.

Cap. LVII.

Descrip. VIx sescunciam excedit coliculus, qui singularis, supernâ parte vbi aliquot flosculi, bifidus, per quem folia, duo aut tria oblōga, inferiora latiuscula, vnciam circiter longa, sapore nullo euidente, multis tenuibus fibris radicatur. Florentem inuenimus mense Iulio in monte Braulio Rhætorum. *Locus & Tempus.*

TERTIONARIA ALIIS LYSIMACHIA galericulata.

Cap. LVIII.

Descriptio EX Lysimachiarum classe, vt voluerunt quidam, earum magnitudinem vix vnquam assequitur, contractioribus *caulibus* breuioribúsque, quadratis, rigidulis, articulatis, in crebras alas diuisis: *folia* ad genicula ortum habent, gemina aduersa, Betonicæ æmula, minora, perinde rugosa, rariùs per ambitum serrata, sapore insigniter amaro: ex quorum alis *flores* ferè

Tertionaria nomen vnde adepta.

coningi surrecto tubulo emicant, ex violaceo in pallidum languenter, labello punctulis saturatioribus picto, galeâ alatâ fibras argenteas occultante, ex calyculo breui, gibboso: *radix* tenuis serpit, adeoque & caulis ex geniculis demissis fibris denuò radicari solitus.

Turnerus insignis Medicus nobis coram affirmauit. Heidelbergæ (vnde attulit à se ibi collectam) in officinis ob eius vsum ad tertianas vsurpatam, Tertionariam cognominari.

Nos eandem planè credimus cum Lysimachia galericulata Lobelii in Icon Plant. p.344. & Obs.p.186. de qua ait. Riuulorum & fluminum ripas & depressos agrorum margines Londinensis & Antuerpiani agri sequitur hæc: plures emittit quadratos sesquipedales & bicubitales geniculatos pediculos: in quibus folia Lysimachiæ purpureæ similia, Scordii æmulatione atrouirentia, ex geniculis gemina, è quibus instar galericuli flores cæruleo-punicantes: radice variè diuaricata repit, vt nullibi hactenus descripta aut depicta, sic vsu neglecta, aut incognita. Hæc ille, qui Lysimachiam suam galericulatam cæruleo-purpuream ad Aduersariorum paginam 144. refert, licèt ibi nihil penitùs legatur, quod ei conueniat. Huius demum Lobelianæ galericulatæ Lysimachiæ bini flores ex foliorum contrario situ in cauliculis quadrangulis nascentium, sinubus prodeuntes, semper in anteriorem partem propendent adeò æqualiter, & contigui, vt ex eodem sinu orti videantur, quod pictor in eius icone teste Clusio, in vnico duntaxat nodo & geniculo obseruauit, plantam delineando.

Lobel. not.

Lysim. caerulea galer. C Bauh. Terjolla.

C. Bauh. phyt. vocauit Lysimachiam 15. siue cæruleam. Reform. Worm. Tertianariam, Tersollam, siue Terzollam, sieberfraût.

Locus & tempus.

Tertionariam obseruauimus prope Montbelgardum eundo *Souchaut* loco humido prouenientem cum Scordio, & florentem Iunio mense. Ea enim aquosis & palustribus plurimùm gaudet. Nec minùs feliciter in hortum Montbelg. translata floruit Iunio Iulioque, vbi tandem neptatu suo Hortulano valde odiosa facta, difficulter extirpata fuit. C. Bauh. collegit non longè à Basilea Michelfeldensib. humidis locis. Clusius nasci ait copiosè in Vngaria, Austria, Stiria, Morauia, Bohemiaque, secundum riuos è montibus defluentes.

CRISTA GALLI MAS ET FOEMINA. CAP. LIX.

Descriptio.

CRista galli Herbariis dicta, duplex mihi obseruata, mas *radice* est exili, *caule* pedali & sesquipedali & recto, tenui, quadrato, inani, in

Crista galli mas.

Crista Galli fœminas.

ramos aliquot diuiso, quos aduerso sita posita bina semper ambiũt *folia* sine pediculo, ad exortum latiuscula, sensim in mucronem desinentia, altiùs crenata, galli cristam æmulantia, circum plantæ summitatem magis quàm in fœmina albicantia, sapore nullo insigni: in summo ramorum aut caulis, ex foliorum alis *flores* vnà cũ folliculo compresso hirsutóque & laciniato, è quo prominent, gallinam glocientẽ incubantémque exprimũt: quorum superius folium caput gallinaceũ deformat luteũ, rostro cæruleo, in quo occultantur apices hirsuti quatuor, duab. laciniis excauatis: inferius verò intensiùs croceũ in tres lacinias abit stigmatis nigris guttatas: vtriculi foliacei modicè protuberantes, hirsuti, vascula continent membranea, lucida, in quibus *semen* rotundum, compressum, sinuatum, cum membraneo margine, colore fusco, sapore nullo effatu digno.

Fœmina humilior est, *caule* minùs robusto, *foliis* angustioribus, *floribus* multò minoribus, summitatibus minùs albescentibus, vtriculis glabris.

Fœmina.

Figura nostra Fuchsiana minùs acurata, marem potissimùm exhibet: altera verò ad plantam virentem delineata fœminam demonstrat.

Icones

C. Bauhino excepto haud dum aliquem scio, qui Cristæ galli aut sexum, aut varietatem saltem obseruarit. Pediculatis 4. siue pratensis lutea (inquit in phyt.) variat magnitudine & latitudine foliorum: item caulium numero: altera enim est pluribus caulibus donata & angustioribus foliis, quæ rarior. Floribus est luteis, rariùs candidis: semen nigrum aut subluteum.

Pediculatis pratensis lutea C.B.

Vtramque Cristam, marem & fœminam exprimere videtur Lobelius in Obs. p. 285. itémque Ic. Plant.

Plant. p.529. per Cristam galli Herbariorum, de qua in Aduers. quærit, num sit Ἀλεκτοροφωνος Plinii? annum potiùs Alliaria recentiorum?

Pedicularia lutea Tabern.

Tabern. in Icon. & Hist. Pedicularię luteæ picturâ marę Gallinaceę cristæ proponit. Tragus pro Pedicularia campestri secunda describit, eámque modò pecori nociuam, modò innocuam ait, non sine hallucinatione. Schvvenkf. Fistulariam luteam vocat.

Alectorolophon. Plin.

Ruellio (& post eum Anguill. & Tabern.) Crista gallinacea propiùs ad Plinianam Alectorolophi picturam accedere videtur. Haud quoque dubitat Clusius quin Alectorolophi genus sit ea planta, cui Cristæ gallinaceæ nomen indiderunt recentiores. Alectorolopho, inquit Dodonæus, similior, quàm Mimulo, Crista galli nostra videtur.

Nomina linguar.

Germani *Reelrodel* aut *leuszkraut* nominant: Belgæ *Ratelen* & *geele Ratelen*, & plerique *hanecammekens*: Itali referente Anguil. *Cresta di gallo & Centro galli.*

An porrò Ruell. lib. 3. cap. 55. dicitur Cannabis rustica Herbariorum? An Cristarum genera duo in montium pratis Cæsalp.?

Locus & tempus.

Exit passim in aruis, & non rarò in pratis etiam siccioribus, vtrobique inutilis & vitiosa; plurima Æstatis parte floret, Dod. & Clusio testibus. Nos in valle Griesbachiana, vbi fontes acidi, vtramq; obseruauimus.

Vires & Vsus.

Quâ autem Crista galli facultate aut potentiâ prædita sit, nulli adhuc curæ fuit, cognoscere, cùm inutilis vel Dod. dictatore habeatur. Demetrius tamen Pedicularię grana tria cribrata, tribus carnis adiectis partibus accipitri dat per quadraginta dies, vt nunquam destillatione laboret, neque gestatus, neque inclusus.

CRISTÆ GALLI AFFINIS PLANTA Romana, siue Crista galli maior Italica.

Cap. LX.

Descriptio

GEniculis per *caulem* ramósque hirsutos bina adnascuntur ex aduerso sita *folia*, Sideritidis aut Cristæ galli, longitudine sescunciali, latitudine semũciali, hirsuta in acumen desinentia, serrata, longis neruis distincta, à quibus in diuisurarum lacunas venulæ excurrunt: ex vniuscuiusque folij sinu *flos* exit vnus luteus, patulo rictu stamina proferens hirsutis apiculis donata, è calyce longo, vnciali ferè, striato, hirsuto, per extremam oram laciniato.

Locus & Tempus

Circa Romam secus vias copiosam obseruauit I. H. Cherlerus Maio florentem, cuius ramum secum attulit.

ANTIRRHINVM ALBVM SERRATO folio.

Cap. LXI.

Descriptio

HÆc planta, quam Antirrhinum album serrato folio vocare libuit, donec vel melius nomen occurrat, vel apud aliquem autorem eius mentionem inuenero, vnico, recto, ad cubitum,

interdum duos alto *caule* assurgit, in quo *folia* eo ferè ordine quo Lini disposita cernuntur, satis dura & aspera, pulchrè serrata, longa satis & angusta: *flores* albi ferè similes sunt maiori Antirrhino, satis magni proportione plantæ: calycib. vituli narium æmulis succedentibus.

Monspelij in prato quodam, in quo species duæ Narcissi nascuntur, prouenit, Vere florens.

PEDICVLARIS, QVIBVSDAM CRISTA galli, flore rubro, & albo.

Cap. LXII.

HAbet hæc planta in florum forma aliquid cum Crista galli vulgò dicta simile: emicant enim vt in illa ex vesiculis laxis glabris, verùm non ita compressis, canaliculatis, tantillũ cum multo virore rubescentib.: colore sunt rubro, aut carneo, aut albo, folio superiore rostrato, apices luteos quatuor binâ cauitate, vt in Crista galli vulgari flaua insculptos, stilúmque purpurascentem sinu suo occultante: inferiore in tres lacinias circinatas profundè inciso: *folia* cum Filipendula nonnihil habent simile, at longè minora, minutiúsque incisa, colore viridi, vel spadiceo, in caulibus angulosis, concauis, palmaribus, dodrantalibus & cubitalibus: *radix*, nonnihil amaricat, alba, rugosa, forma radicis

Petroſelini vulgò dicti, minimi digiti craſſitudinẽ vix attingens, in craſſiuſculas fibras diuiſa. Ex ſũma porrò radice folia exoriuntur lata, craſſa, in mucronem deſinentia, per ambitũ ſerrata, ex quorum ſinu reliqua folia cum caule emergunt. Sic & primogenitæ plantæ folia prima Dryopteris æmula formâ & laciniis, vt etiam aliquos fallere poſſit. Cæterùm, *ſemen* fuſcum, rotundum, in vaſculis magnis falcatis, in roſtra deſinentibus.

Pedicularis Lob. Ped. Alectorolophos.

Lobel. in Icon. Plant. pag. 748. Pedicularem inſcribit, in Obſ. verò pag. 431. Pedicularem Alectorolophon, eam in Aduerſ. Pliniano Alectorolopho minùs quadrare, repetit: & inter Filipendulas, aut Millefolium reddendam cenſuit.

Quod porrò Pediculare vocari ait, quòd facultatibus ſit viroſis, pratis infeſta, & pediculis hoſtis, à Dodonæo diſſentit, qui hanc pediculos generare tradit. Fiſtulariam (inquit in Hiſtor. frum. & Lat. in fol.) Germanorum plerique *braun Rodel*, alii *Leuſz kraut*, *Braun leuſz kraut*, Græcè φθίριον, Latinè Pedicularem ab effectu nominãt, quòd pecori ac iumentis, quæ in pratis vbi hanc prouenit, paſcuntur, pediculorum copiam gignat: Belgę *Roode Ratelen* appellant: Et hęc Dod. qui in Hiſt. gall. Alectorolophon inſcripſit, ac gallicè *l'herbe aux pouls* appellauit.

Tragus Pediculariæ campeſtris titulo pinxit, ac prioris cognomento delineauit: H. Lugd.

Pedicularia campeſtris Tragi.

pag. 1074. Criſtæ galli alterius, ſeu Phthirii. Geſn. in deſcr. mont. Fracti lib. de Lunar. Pediculariam Tragi vocauit. Cluſius in Hiſt. poſt. Alectorolophon 3. & tertii genus alterum inſcribit, ac Fiſtulariam à caulis cauitate vocari opinatur. Caſp. Bauhin. Pedicularia 1. ſiue pratenſis purpurea.

Geneuæ flore albo ſed crebriùs purpureo obſeruaui, pedalem, altiorem & ramoſam, florentem Maio iuxta *Arue*. Prouenit quoque in Michelfelden, inter Montbelgardum & Baſileam aliquibus in locis, in valle Griesbach & aliis pluribus locis aquoſis circa Montbelgardum, ſemine maturo Iunio. Naſcitur, inquit Dodonæus, in vliginoſis pratis: herba non ſolùm parùm vtilis, ſed & noxia, ac pratorum ipſorum vitium: Maio ac Iunio menſibus cum flore ac valuulis reperitur.

Locus & Tempus.

Creditur, eodem Dod. referente, ad fiſtulas & ſinuoſa vlcera vtilis eſſe, nec non menſes & aliunde profluentem ſanguinem, in vino auſtero decocta poraque ſiſtere. Quis autem Medicus propter viroſam facultatem intus ſumendâ præſentib. ſuauioribus medicamentis ſuaderet.

Vires & Vſus.

PEDICVLARIS MAIOR DALECHAMPII.

Deſcriptio

PLantam ſiccam ab ipſo Dalechampio habemus, quam ſic deſcripſit. Filipendulæ Alpinæ affinis eſt: *radice* foris nigra, Napi modo gracileſcente, rugoſa, nonnihil ſurculoſa: *caule* fermè cubitali, virgato, vnico: *foliis* Filicis in longo pediculo, ordine collocatis, per ambitum crenatis, exeunte per caulem alternatim vnoquoque foliorum pediculo: *flore* pallido, ſpicatim in ſummo caule congeſto: *ſemine* copioſo, in latis corticoſis vaſculis concluſo, Alyſſi modo.

Pedicul. maior alpina.

Inſcribitur apud H. Lugd. pag. 1138. Pedicularis maior Alpina: apud C. Bauh. in phyt. Pedicularis 2. ſiue Alpina maior folio Filicis. An Alectorolophi 1. alterum genus Cluſio.

An eſt Cluſio in Pannon. pag. 707. & Hiſt. poſt. Alectorolophi primi alterum genus? de hoc mox capit. de Pedicularibulboſa.

In vertice montis Aurei Gergobiæ Aruernorũ propinqui gignitur Dalechampio perhibente. Nemauſo ſo miſit Cherlerus C. Bauhino.

Locus.

PEDICVLARIS BVLBOSA.

Deſcriptio

COmplures emittit *caules*, pedales, concauos, in quorum cacumine *flores* multi aceruatim cõgeſti, cucullati, Pediculares, maiores: *folia* palmatibus nixa pediculis, pinnata, Filipẽdulæ diuiſurâ, ſtatim ex radice prodeunt, qualia per caules, pauca, præterquam in ſũmitate vbi *florum* ſpica incipit, quo loco ſatis ſunt frequentia: *radices* capillaribus fibris intertextæ, multæ, principio anguſto, ſenſim extuberantes, multùm Filipendulæ radicibus cedentes: veſtigia veterum caulium demonſtrant non eſſe annuam ſtirpem.

Lobel. Ic. plant. pag. 730. Oenanthe ſiue Filipendula altera montana.

H. autem Lugd. huius plantæ duas & deſcriptiones & figuras dediſſe credimus. Et earum quidem primam p. 784. pro Oenanthe ſiue Filipendula altera montana Penæ: Alteram p. 786. pro Oenanthe alia Myconi, quam Filipendulæ genus eſſe iudicat ex foliorum & radicum ſimilitudine, eodemque ſapore.

H. Lugd. lapſus.

Cluſio Alectorolophus Alpinus maior ſiue 1.

An Geſnero Herba foliis Aſpleno ſimilis?

In altiſſimorum montium verticibus vt Norbonæ ad Veganium. in Dei paradyſo vocato Calcari contermino eruta à Lobelio. Iulio florentem in Gothardo euulſit gener Cherlerus. Cluſius vtrumque genus in ſummis Alpibus Durrenſtain, Etſcher, aliiſque celſis & herboſis iugis naſci obſeruauit: poſteriùs etiam in inferioribus vliginoſiſque pratis. Meminit & in Flandriæ pratis humidioribus, etiam Gentilly pago vicinis, non procul Lutetiâ Pariſiorum.

Locus & Tempus.

PEDICVLARIS

PEDICVLARIS ALPINA FLORE luteo, radice nigra.

Descriptio

HÆret *radice* crassâ, nigrâ, multifidâ, folia ex radice profert longo pediculo nixa, quæ foliolis multis constant, toto ambitu minutissimè incisis, ex aduerso sitis, vt in Filipendula, quæ causa nominis fuit: *caulis* pede altior flores luteos spicatim ferè congestos in vertice sustinet, quibus dilapsis vascula succedunt oblonga, Anthirrini loculis similia, minuto *semine* plena.

Apud Hist. Lugdunensem pag.1158. Filipendulæ Alpinæ titulo habetur. C. Bauh. phyt. Oenanthe 11. siue Filipendulæ similem alpinam luteam cognominat.

Locus. Eam gignũt summa Alpium iuga, pascuis pratis, & vberrimo fœni prouentu greges innumeros atque armenta saginantia, indeque rusticos ditantia.

MELAMPYRVM VETERIBVS ET in genere.

Cap LIII.

DE Melampyro veteres obiter duntaxat & obscurè nimis egerunt. In genere Frumẽtorum (inquit Theophr. lib.8. cap.5.) Siculum satis purum, & præcipuè Agrigentinum sine Lolio exit. Siculo autem, quod priuatim Melampyrum vocant, proprium datur, quòd innocuum sit, nec sicut Lolium graue & capitis dolores faciens: Idem c.8. Lolium ex Tritico & Hordeo corruptis nascitur: Vel si id minus, nasci quidem inter Triticum solitum esse, nulli dubio est: vt etiam Ponticum illud, Triticum atrum [μελάμπυρον] cognominatum.

Sed & Galenus simile quid de Melampyro memoriæ prodidit, ita vt à Theophrasto sua mutuasse deprehendatur. Sic namque Alim.2. ait: Ex Tritici mutatione nascitur Melampyron, vt ex melino nigrum fiat, & tamen tale, multò minùs malignitatis quàm folium habeat. Item Alim. 1. cap. vlt. Melampyron dictum, fit ex mutatione Frumenti, sed prauitate quàm plurimùm à Lolio relinquitur.

Aequiuoca A Melampyro hoc Theophrasti & Galeni diuersum dicimus Melampyrum quorũdam, quod Dioscorides Myagrum appellauit. Sed fortè illo loco cum Paulo legendum Melampycnon. Melampyron etiam de quo hîc agimus, Stelephuros Plinij quibusdam esse videtur lib.21. cap.16. Aliis eiusdem Alopecuros lib.21. cap.17. sed malè, referente etiam Casp. Bauhino. Hic autem eius Aëram lib.18.cap.17. esse credit, quamuis hoc nomen Lolio meliùs fortè tribuatur. Melampyrum multis hodie videtur esse Triticum vaccinum, de quo iamiam sermo instituendus.

MELAMPYRVM MVLTIS, SIVE Triticum vaccinum.

Descriptio

LIgnosâ est & exiguâ *radiculâ*, aliquot consimilibus fibris donatâ: ex qua surgit *caulis* singularis, quadratus, hirsutus, purpurascens, multis alis concauus: *folia* ex interuallis, ex aduerso posita, Linariæ alia, alia lata & profundè laciniata, aspera, atro-virentia, at quæ in supremo thyrso sũt, crebriora existunt, breuia, latiora, digitata, hilari purpurâ tincta: ex quorum alis galeati *flores* exeunt subhirsuti, casside purpurâte, labello luteo rubore confuso, ceruice penitùs luteâ, reliquo tubulo purpurascente: quibus succedunt in capsella oblonga turgida, tegmine membraneo in aristas desinente breuiusculas obuolutâ, *semina* duo autrria triticeis minora, nigriora.

Triticum vaccinum siue bouinum flore purpureo, candido interdum, sed rarissimè, conspiciendum se præbere legitur apud Tragum, qui narrat semina purpureo colore tincta, Tritico, vel Speltæ admixta (quod apud Mediomatrices, frequenter solet) panem reddere purpureum. agricolas verò *kuvveitzen* à semine Triticum referente, vocare: quomodo verò in Dioscoride appelletur, sibi non constare. *Tritic. bouinum flore albo.* *Tritic. vaccinum.*

Gesn. de coll. stirp. Triticum vaccinum à Tragoo descriptum inutile perhibet Medicinę, vocatque Vitium Tritici, germ. *Brand*: non desunt tamen qui *Braunfleischbluemen* & *Mohren vveitzen* appellent: Belg. *Peertzbloemen*: Galli *Blé noir*, *Blé de vache*, *Blé de bœuf & rouge herbe*, Atrebatib.h.e. Herba rubra, à comæ colore. *Tritic. vitium.* *Herba rubra.*

Triticum vaccinum vocat Dodon. gall.lib.2. cap. 14. eius figuram quoque habenti lib. 4. cap. 16. Melampyri titulo) & lat. de frum. & in fol. & Hist. Lugd. p.419. itemque Cordus. Melampyrum Lob. in Adu. Obs. p.23. & Ic. Plant. p.37. ac etiam Tabern. Melampyrum 1. siue purpurascente comâ, Melãpyron Galeni & Theophr. ac etiam Aeram Plinii, Casp.Bauh. in phyt. Melampyrum Belgarum & στελέφυρον Plinii Lobel. in Aduers. dicens: Melampyrum Dodonęi cognominauit Camer. hort. & Thalius, qui varias passim eius obseruari species prodidit. Quas eo non nominato ex eo sic recenset C. Bauh. Variat floris colore, flos enim infernè candidus, super- *Melampyr.* *Melampyr. Galeni & Theophrasti* *Melampyr. Belg. Stelephuros Plin.* *Varietates Thal.*

nè luteus: sic ex albo viridíque mixtis: item floribus luteis, in summo albicantibus: sic infernè puniceus, supernè luteus, foliis minoribus, & tãdem flos infernè supernéque puniceus, medio candicans, foliisque laciniatis.

Clus. in Pannon. p. 603. appellauit Parietariam siluestrem purpurante comâ: In Hist. post. Parietariam silu. tertiam. Quo autem nomine veteri donari debeat, se ignorare fatetur. Trifolium maius dicitur Brunfels. tom. 1. Rhapsi. 14. pag. 47. Et tom. 2. Rhapsi. 16. pag. 59. *Braunfleischluym*, quam vocem Casp. Bauh. Trifolium purpureum reddidit, quàm rectè tu videris. Schvvenckf. Melampyrum purpureum, & Parietaria silv. comâ dilutè rubescente, Germ. *Vvachtel vueitzen.*

Locus & Tempus. Geneuæ, & Montbelgardi, ac in Alsatia inter segetes prouenit, læto potissimùm, pingui, ac restibili agro, cum frugibus florens & ad maturitatem perueniens in omnibus ferè prouinciis: negligi mauult quàm in hortis coli. Si tamen alicubi expetatur ob floris elegantiam, Autumno seri necesse fuerit: annua est planta, quæ maturo semine perire solet.

Vires & Vsus. Nullum quod sciamus in medicina vsum obtinuit, sed plerumque negligi solet. Scribit Clusius eam in Occidentali Frisiæ seu Flandriæ parte [vbi copiosissimam ait] panem vitiare & atriorem reddere: quinimò eos, qui eo vescuntur, plerumque capitis grauedine tentari solere, non secus ac si Lolio victitassent. *Ego semine* huius sæpiùs quidem panem tinctum obseruaui, sed nullum prauum saporem ei adferre deprehendi, nec insalubriorem à rusticis ideò haberi animaduerti, nec eam vllo modo separare student. Quin & Tabern. qui admodum sapidum panem ait, se sine vllo nocumento sæpè comedisse testatur. Gratus pastus bobus & vaccis saginandis, vt non incongruè forsan Pabulum bouinum aut vaccinum quis nuncupare posset.

MELAMPYRO AFFINIS, PARIETARIA cærulea quorundam.

Descriptio

QVadrangulo assurgit *caule*, pedali, nodoso, villis quibusdã hirto: in quo alternatim ad nodos bina sẽper ex aduerso nascuntur longa *folia*, secundùm pediculũ lata, & sensim in mucronem desinentia, aliquantulùm villosa: summus caulis & rami desinunt in foiorum comam superioribus minorum, ad pediculum laciniatorum, mollique lanugine pubescentium, coloris purpurei, nunc dilutioris, modò saturatioris elegantissimi & violacei: inter quæ bini semper inter se oppositi *flores* nascuntur, longiores, concaui, aliquantulùm hiantes, superiore labro nonnihil reflexo & villoso, inferiore latiusculo & deorsum propendente, coloris initiò lutei, deinde omninò aurei, omnes tamen, licèt alternis contrario situ nascentes antrorsum exporrecti & spectantes, quod pictor in hac Clusii icone delineanda tunc non obseruauit: *radix* candicans, quam subsequens Hiems corrupit.

Clus. in Pannon. vocat Parietariam siluestrem primam cæruleâ comâ: In Hist. post. Parietariam siluestrem (quorundam, addit ad descr.) primam.

Camer. hort. Parietariam siluestrem vulgò vocari, quod miratur Clusius, refert, elegantissimam herbam hanc, foliorum comâ cæruleâ, vel dilutè rubescente, vel penitùs candidâ: flosculis quâ parte suo conceptaculo tenentur, sanguineis, priore verò flauis.

C. Bauh. phyt. nominat Melampyrum 2. siue cæruleâ comâ, Parietariam Lipsiensium Tragi. An verò sit Parietaria tertia Tragi, quam à Lipsiensibus Medicis veram Parietariam existimari tradit, dubitamus.

Schvvenckf. Melampyrum purpuro-violaceum, Triticum vaccinũ 2. *Blaugeel tagvnd nacht*, & *Ringelscheis* vulgò corruptè, cum potiùs dicendum *Rinder vueitz*.

Agerius obtulit in Austriæ pratis collectam nomine Parietariæ silv. comâ cæruleâ. In Silesiæ siluis & aggeribus montosis Iunio & Iulio frequens. Crescit etiam in Hungariæ, Austriæ, Morauiæ, Bohemiæ, ac quoque Germaniæ sepibus & siluarum marginibus, vmbrosisque locis. Ob insignem elegantiam & colorum varietatẽ hortis inserendam censet Camerarius, sed locis fruticosis, & circa sepes. Non vult enim in areis coli. Semen maturè colligendum, antequam exiliat è vasculis & statim reddendum telluri, vt sponte excidat. Nudum enim si contrectetur fœcunditatem perdere existimatur.

Vires & Vsus. Quidam vulnera sanare & liuores discutere arbitrantur. Sapore est subdulci, & nonnihil acri, simulque astrictionis alicuius particeps.

MELAMPYRVM CRISTATVM FLORE albo & purpureo.

Descriptio

TOrtuosâ nititur *radice*, parum altè demissâ, lignosâ, aliàs simplici aliàs apophysibus adnatis multifida: *caulis* singularis, pedalis & procerior, aliàs teres, aliàs angulosus, potissimùm parte superiore, in ramos plurimùm aduersos, inæquali interdum ortu, diuisus: folia plærumque opposita sæpè incondita, oblonga, angusta, acu-

minata, Melampyri vulgaris: flores hiantes, eiusdem floribus respondent, coloris vel albi cum rictu luteo, vel purpurei, quos complectũtur duo folia latiuscula, figurâ Lunæ falcatæ, arcu minutis denticellis concinnè crenato cristatóque.

An Melãpyrũ luteũ angustifol. C.B. Locus & Tempus

An Melampyrum 4. siue luteum angustifolium Casp. Bauhini in phyt?

Illud, cui flos albus cum rictu luteo, Iulio mense florens inueni inter *Schorndorff* & fluuium *Filtz*, versus *Forndorff*. Alterum eodem mense florens inter Balneum admirabile & Nurtingam.

MELAMPYRVM SYLVATICVM flore luteo, siue Saturea lutea siluestris.

Descript.

MElampyri vulgatioris segetum *radices* habet, strigosius plærumque, *coliculis* dodrãtalibus, & cubitalibus, quadratis, subhirsutis, iu frequentes ramos coniugatim diuisis: *folia* geniculis adnectuntur bina opposita, atro-purpureo colore maculosa, interdum culmum lata, interdum duplò latiora, vncias duas plùs minùs longa (ingrati & aliquantùm acris saporis, Clus.) quorum quę suprema floribus appositа sunt, vulgatioris Melampyri segetum modo laciniata exĩstunt: cæterùm tubuli formâ *flores* hiantes alterius Melampyri, toti lutei sunt, conspectiores, bini & in vnam ferè partem vergentes: quib. compressa succedunt rostro adunco pericarpia, *semina* tria, alterius non dissimilia, oblonga, comprehendentia. In hac planta obseruaui interdum colorem cęruleum, vel dilutè rubentem.

Icon. Lobelii mãca. Parietar. filu. luteo flore, siue 2 Clus.

In Cratæogoni Lobelij figura, quæ extat in Obs. p.22. in Icon. verò Plant. pag.36. flores requiruntur.

Clus. in Pannon. dicitur Parietaria silu. flore luteo: In Hist. post. Parietaria silu. (quorundam, addit in marg.) secunda, Cratæogonum:

Melampyrum luteum latifol. C.B.

C.Bauh. phyt. Melampyrum 3. siue luteum latifolium, Cratęogonũ Dioscoridis. Schvvenckf. Melampyron luteum, Triticum vaccinum 3. flore nonnunquam candido, sapore acri ac vehementi: *vvild tag vndt Nacht*.

Tres descriptiones & duæ figuræ Lugd.

H.Lugdun. huius plantæ, ni multùm fallimur, duas descriptiones habet & duas figuras: Cratæogoni scil. 420. & Satureiæ luteæ Dalechampij p.899. Et Hyssopi nemorensis & luteæ p.936. descriptionem tertiam sine figura: quod etiam animaduertit Frater: qui tamen etiam perperam apud Matthiolum duas figuras solo colore differentes tradit. Nec placet apud Tabern. in Icon. itémque Hist. Milij siluatici, siue Alsinę siluaticę (huius sc. plantę) duas poni figuras, colore tantùm distinctas.

Locus & Tempus.

Crescit in sepibus, & siluarum marginibus, vmbrosísque locis Vngariæ, Austriç, Morauię, Bohemię, atque etiam Germanię: floret Maio & Iunio, annua planta, Clusio. In siluosis collibus & dumetis, vmbrosis, Norbonæ, Anglię, & Sabaudię, Pedemontísque passim multâ Æstate fruticantem obseruauit Lobelius. Abundat circa Montbelgardum in siluis: Geneuę in colle *la Batie* floret Iunio, & Tiguri, ac Basileæ in segetibus.

Temper. Tabern.

Milium vaccinum censuit calidum vsque ad 4. gradũ Tabern. Quę si hoc temperamento pollet, existimarim haud temerè eam vsurpandam.

Semen in folliculo exiguo Milio non dispari, cuius odor & sapor acre nonnihil testantur, vti & folia siccata. Ac tametsi ortum in loco lacunoso & hiante, tamen semen in pollinem pultémque ductum, esse Veneris incentiuum, & seminis genitalis quasi fermentum quoddam & cotem non abs re retur Lobelius.

PERISTEREON, VERBENA, ET HIEROBOTANE, siue Herba sacra ex veteribus & in genere.

CAP. LXIV.

Descript.

QVamuis περιστερίων, h.e. Verbenaca recta, & ἱερὰ Βοτάνη, h.e. Herba sacra, seu Verbena supina, passim ab auctoribus, figurâ, viribus, & nomenclaturâ discernatur, tamen quia Plinius diuersum videtur innuere, & breuitatis studio vtramque vnà inuoluere, visum nobis fuit ambas vno capite comprehendere. Verbenaca recta (περιστερίων) in aquosis nascitur: nomen autem græcum ex eo duxisse videtur, quòd libenter circa eam [διατρίβειν ἐν αὐτῇ pro quib. vet. ἐνδιατρίβειν αὐτῇ, in ipsa:] columbę commorentur. Herba est palmi altitudine, aut etiam maior, foliis incisis, subalbidis, è caule prodeuntibus: singulari plerumque ramo [μονόκλωνος ὡς τὸ πολύ. Vet. μονόκαυλος. Samb. μονόκλαδος] & radice vnicâ reperitur. Folia cum Rosaceo, aut adipe suillo recenti subdita, vulnę dolorẽ adimere creduntur. Ipsa quoq; herba imposita cum aceto eryspelata reprimit, putridáque vlcera cohibet: vulnera etiamnum glutinat, veteráque cum melle ad cicatricem perducit, authore Dioscoride.

Vires

Verbenæ recta spuria appellationes.

Sũt autem qui Peristereona rectum, qui Peristerion, qui Trigonion, qui Bunion, qui Sacram herbam, qui Philtrodotem vocẽt: Ægyptij Pempsempte: Magi Iunonis lacrymam, siue Mustulæ sanguinem, aut Mercurij itidem sanguinem: Romani Cristam gallinaceam, Feriam, Trixalim, Exuperam, & Herbam sagminalem.

Herba sacra historia Dioscoridea.

Sed & Herba sacra [ἱερὰ Βοτάνη] quam etiam nonnulli Peristereona vocarunt, ramulos emittit cubitales, aut etiam maiores & angulosos, circa quos folia sunt ex interuallis, quernis similia, sed angustiora, minoráque [καὶ ἥττονα vet. caret] diuisuris incisa per ambitũ, & colore aliquatenus glauco: radicem longiusculam & gracilem, flores purpureos ac tenues. Huius folia cum radice ex vino, illitáve, aduersus serpentes [πρὸς ἕρπητα. Lac. legit ex antiq. exempl. πρὸς ἕρπητας καὶ ἐρυσιπε'λατα.] pollent: eadem illa [φύλλα] contra morbũ regium drachmę vnius pondere ex vini veteris & calidi hemina vna quaternis diebus ieiuno ventriculo bibuntur. Sed & œdemata diuturna, inflammationesque impositа mitigant, sordidaque vlcera purgant. Tota verò herba in vino decocta, tonsillarum crustas abrumpit, & oris nomas gargarizatu cohibet. Aiunt si aquâ spargatur triclinium, quâ maduerit, lætiores, hilariorésve cõuiuas fieri. Datur & potandum tertianâ laborantibus, tertium à tertia geniculum vnà cum foliis circumdantibus, vti & quartanâ, quartum. Cæterùm [vet. caret sequentib.] Sacram herbam ideò vocant, quod in expiationibus sit ad amuleta perutilis.

Vires. Dioscl. lectio diuersa.

Capitis huius varia inscriptio.

Porrò capiti huic, de Hierobotane [περὶ ἱερᾶς Βοτάνης] Goupili vterque codex hũc titulum, περὶ περιστερίωνος ὑπλίου, habet: Antiquus, verò manuscriptus codex ὑπλίου legit. Sunt etiam qui Peristę-

reona supinum nominent inter nothas appellationes: sunt qui & Erigenion, qui Chamæleucon, qui Sideritim, qui Curitim, qui Persephonion, qui Iouis Colum, qui Dichromon, qui Callesim, qui Ciparission, & qui Demetriada appellent: Ægyptii Pemphtemphtham, Pythagoras Erysisceptrum, Romani Cincinnalem herbam dicunt.

Sagminalis. Sagminalis appellationis [quæ vox inter supposititia Dioscoridis habetur] ratio, ex Plinio manifestè declaratur, vbi lib. 22. cap. 2. ita legitur. Sagmina in remediis publicis fuêre, & in sactis, legationibusque Verbenæ. Certo vtroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra euulsum: ac semper & legati cùm ad hostes clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, vnus vtique Verbenarius vocabatur. Nulla tamen (pergit idem lib. 25. c. 9.) Romanæ nobilitatis plus habet, quàm Hierobotane. Aliqui Peristereon, nostri Verbenacam vocant. Hæc est, quam legatos ferre ad hostes indicauimus. Hâc Iouis mensa verritur, domus purgantur, lustranturque. Genera eius duo sunt: folioſa, quam fœminam putant: mas, rarioribus foliis. Ramuli vtriusque plures, tenues, cubitales, anguloſi. Folia minora, quàm Quercûs, angustioraque, diuisuris maioribus, flos glaucus, radix longa, tenuis. Nascitur vbique in planis aquosis. Quidam non distinguunt, sed vnum omninò genus faciunt, quoniam eosdem effectus habeat. Vtraque sortiuntur Galli, & præcinunt responsa. Sed Magi vtique circa hanc insaniunt. Hac perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi, Colligi circa canis ortum debere, ita vt ne Luna aut Sol conspiciat, fauis antè & melle terræ ad piamentum datis. Circumscriptâ ferro effodi sinistra manu, & in sublime tolli. Siccari in vmbra, separatim folia, caulem, radicem. Aiuntque, si aquâ spargatur triclinium, quâ maduerit, lętiores conuictus fieri. Aduersus serpentes conteritur ex vino. Idem & hæc sparsim habet. Verbenaca cum Plantagine, in collo suspensa, comprimere dicitur strumas. Insanabilis Podagræ non est credendus morbus: quippe quoniam & sponte desiit, & in pluribus curâ. Medetur Verbenaca cum axungia trita, & illita: aut si pedes macerentur in eius decocto. Iumentorum febribus in vino medetur: sed in tertianis à tertio geniculo incisa, quartanis à quarto. Fasciculo manûs plenæ decocta in aqua ad dimidias, hydropicos sanat. Morbo regio dysenteriæ & calculis confert. Tandem radix eius ex aqua pota, ad omnia in partu & ex partu mala præstantissima est.

Galenus. Peristereona non modò œdemata antiqua & tumores sistere, & mitigare, sed & tonsillarum crustas abrumpere & exsiccare, nimirum calfaciente vi, quâ etiam capitis dolores chronicos discutere ait, ex frigiditate & crassis humoribus ortos, tradidit Galen. 2. de comp. med. sec. loca, his verbis: Omnium verò maximè discutit & perfectè corroborat Verbenaca recta [περιστερεὼν ὀρθὸς] maximè viridis, imò & arida cum radicibus & simul cum Serpillo oleo incocta. Idem de simpl. Peristereon nominatus est, quòd columbæ in ipsa versentur. Vim habet in tantùm resiccantem, vt vulnera glutinet.

Verbenacæ, quæ & vltimâ detractâ syllabâ nunc communiter Verbena dicitur, inquit Humelbergius, historiam satis succinctè tradit Apuleius. Quare copiosiùs de illa dicendum, præsertim quia nulla in toto herbarum censu Romanæ nobilitatis plus habet, vtpote quæ vna auctoribus Romani imperii, conditoribusque immensum quiddam dedit. Sunt autem duo ipsius genera, diuersis tamen notis, ceu fusiùs indicatum antè est, discreta. Græci, vt Dioscorides, quem sequutus Apuleius, à plantæ habitu illam in rectam & supinam diuidentes, de iisdem diuersis capitibus agunt, qui mos & circa alias herbas non infrequens est Apuleio. Capite enim tertio sub Hieras botanes & Verbenacæ nomine de supina cognominata agit: de recta verò dicta cap. 65. sub Peristerei titulo. Plinius porrò cum Latinis in matem & fœminam distinxit. Cæterùm quod nominis rationem concernit, Verbenaca dicta est, quòd sola & per se verbenas faceret. Præterea quæ illi adiecta sunt specierum discrimina, supina & recta, hanc rationem habent. Hæc quòd recto caule rigeat: illa quòd humilioribus, & deiectis in terram ramulis quasi iaceat. Adduntur autem ambabus per tempora & ex aliis causis aliæ ab aliis gentibus appellationes. Hiera botane, id est, Sacra herba, enim vocatur autore Dioscoride, quòd in lustrationibus suspensa, alligatáue, felicem habeat vsum: Vel autore Plinio, quòd ad Iouis mensam verrendam, præparandamque ad sacrificium adhiberetur. Peristereona hyption, hoc est, Columbina supina quoque nuncupatur: ὕπτιος enim Græcè idem est, quod supinus Latinè: ἡ περιστερὰ verò Columba, à qua tum apud Latinos, tum apud Græcos nomen adepta est, eò quòd, vti Apuleius ait, columbis esca sit admodum iucunda & familiaris: seu vt Dioscorides dicit, quòd columbæ inter eam versentur. Plinius id nec ad cibum, nec ad conuersationem refert, sed simpliciter columbis familiarem esse ait, ideoque nomen id indeptâ. Dioselacate verò dicta quasi IouisColus. Διὸς enim idem est quod Iouis: & ἠλακάτη colus dicitur. Vocata est etiam Panchromon, quasi tota speciosa & nitida: πᾶν enim Gr. omne & totũ significat: χρῶμα verò eisdem color est & nitor. Colletis dicitur quasi conglutinatrix ab effectu, quia vulnerum sit conglutinatiua, à verbo κολλάω, q. e. conglutino. Aristereon appellata est quasi glutinata vulnera firmans ac solidans, à verbo στερεόω, quod est, firmo ac solido, & à dictione ἄρ, quę quamuis per se nihil significet, in compositione tamen aliis dictionibus addita, illis augmentum addit, & valde significat. Cyparyssos dicta est, quòd folia illi sint per ambitum secta, quemadmodum in Cypariſſo. Demetrian, hoc est, Cerealem nonnulli appellarunt: δημήτηρ, id est, Demeter, enim Ceres est, à qua & nomen inuenit, quòd vt Ceres inuento frumento & traditis legibus homines feros cicurauit, & mitiores ciuilioresque reddidit: ita, ceu Magorum vanitas perhibet, & Plinius refert, hac perunctos amicitias conciliare, nullique non morbo mederi, & si aqua eius spargatur in triclinium, lætiores conuiuas fieri creditum esse. Siue quòd in agro iuxta fruges quas Ceres inuenit, ac etiam quarum Dea habita est, lubens etiam ac frequens nascitur. Æsclepij nomen ab Aesculapio vetustissimo medicinæ inuentore, ac plurimorum valetudini hominum vtilium autore, adinuenit, propter multiplicem vsum & virtutem. Sic & Alcean, id est, Medicam, & contra morborum iniurias validam & efficacem auxiliatricem

liatricem dixerunt, ἀλκὴ enim vis est & efficacia, auxilium & remedium: vnde & hæc herba præ aliis nomen hoc sibi asciuit. Erysisceptron appellata est à calathis & virgis. Nam Græci ἔρυσον calathum vocant & sportam: σκῆπτρον verò sceptrum & virgam. Sicque dicta est, eò quòd caulis & virgæ ipsius virides lentore suo in calathos, sportas, tegetes, & id genus alia, texi & in nexus circumagi possint, quemadmodum & Gyperus & Aspalathus [quib. Erysisceptri nomẽ etiam commune & peculiare est] & Tiliæ & vtilia alia texẽdis calathis, & corbibus, fiscellísque sunt idonea. Quæ ratio etiam fecit vt Licinia dicta sit Latinis, à verbo Licio, quod est implico, vel à nomine Licium, quod est filum, quo textrices stamen in tela implicant. Nisi Lucinia legere, quis maluerit, eò quod oculorum luci & visui prosit, à Lucina quæ Iuno est. Heras dacryon, i. e. Iunonis lachrymam sunt qui nuncupent. Ἥρα, i.e. Hera enim Iuno dicitur; δάκρυον verò lacryma: sicque fortassis dici potuit, quòd oculos & visum iuuet, illorúmque illachrymationibus destillationibúsque prosit. Iuno enim à iuuando dicta est, & quia oculis lucíque præest, Lucina vocata est. Lustrago dicitur, quòd lustrationibus adhiberetur. Nam, quod Plinius testatur, hac domus purgabantur, lustrabantúrque. Lustrare autem expiare, purgare & purificare est, sic dictum à luendo, i.e. soluendo & liberando. Et inde lustratio, i. e. expiatio, purgatio, solutio, & liberatio purificatióque. Militaris vocata est, quòd hâc coronati feciales ad hostes legati mitterentur ad bellum indicendum, pacem componendam, clarigatúmque repetendum. Siue quòd herbæ Achilleæ, quę Militaris etiam appellatur foliorum formâ sit aliquo modo similis. Verripedium dicta est, quòd virgis eius domus & pauimẽta verrerentur, purgarentúrque. Verrere enim trahere est & mundare, quòd sordes trahendo mundentur: Pedum verò pastoralis baculus est & virga. Crista gallinacea nuncupata est, quòd folia illa sint serrata & incisuris diuisa, ceu cristatus galli apex. Trygonion, i.e. Turturina, quasi Columbina, à turture, quæ græcè τρυγὼν dicitur, è genere columbino, dicta est, & eâdem ratione quâ Peristereõ & Columbina, vtpote quòd turtures sicut & columbæ libenter inter eam versentur, aut ipsâ vescantur. Chamęlygos dicta est à caulis & virgarum ramulorúmque in terram deiectione, & eorundem ad ligandum aptitudine, de qua in Erysisceptri nomine iam dictum est: χαμαὶ siquidem humile & humi depressum; λύγος verò vimen significat. Dicta etiam est Sideritis, hoc est, Ferraria, à foliorum forma & similitudine quadam cum Sideritide herba, cui peculiare & proprium hoc nomen est. Siue à ferro, quod Græcis σίδηρος est, quòd glutinandis vulneribus ferro factis in bello vsum præberet, vnde etiam teutonicè *Isenkraut*, h. e. Ferraria nuncupata videtur. Ad eundem modum & Curitis, quasi Hastaris, ab hasta, quæ Sabinorum linguâ curis vocatur, appellari potuit. Humelbergius tamen nomen hoc inuenisse narrat ab eo, quòd quemadmodum olim hasta, quam sceptrum Græci dixerunt, regij fastigij insigne diadematis loco fuit: sic etiam herba hæc, quæ multùm laudis ac plurimùm Romanæ nobilitatis habuit, & quâ semper legati ad hostes missi coronabantur & ornabantur. Nominata est & Pherspehonion ab infernali numine Proserpina, quæ græcè Pherspehone dicitur. Nominis autem causa est, quòd cõtra ipsius veneficiorũ maleficia vim habeat & amuletum sit. Credebatur enim antiquitùs Pherspehone pueris & aliis veneficiis suis nocere. Herbam sagminalem dixerunt, quòd inter sagmina primum hæc honorem haberet. Et hæc de nomenclaturis Hieras botanes, h.e. Herbæ sacræ, siue Verbenacæ supinæ.

Peristereon orthion, i.e. Columbina recta, etiã Trigonion, quasi Turturina nuncupatur, quorum nominum, vt & Hieras botanes, Heras dacryos, Cristæ gallinaceæ, Columbinæ & Ferrariæ, ratio reddita est iam antè. Alij etiam Herculaniam, Ægyptij Thiopheriges, Hæmagales alij, i.e. sanguinem mustelæ, alij Hæma hermu, h.e. sanguinem Mercurij, Punici Zimicum, alij Azirgozol vocarunt: nonnulli Bunion, si non potiùs legendum sit Bomion, à dictione βωμὸς, quę aram significat, cuius nominis ratio fuisse potuit, quòd herba hac Iouis mensa & ara ad sacrificiũ verrebatur. Philtrodotes appellata quoque est, quoniam lustrationibus adhibebatur feliciter, & philtris amoliendis erat accommoda. Exupera matricalis etiã dicitur. Exupera quidem, quòd omnes alias dignitate antecellat. Nulla enim quæ Romanæ nobilitatis plus habeat quàm ista: Matricalis autem quòd muliebrium locorum & matricis indolentiam faciat appositа: siue ad discrimen Heracleæ Sideritidis, quæ Exupera etiam dicitur, sed cum adiuncto matricalis, vt Apuleius tradit c. 72. cui & hæc nonnihil folio assimilatur: quæ ratio & causa etiam fuit, vt Herculanea sit dicta. Plura nomina inter Dioscoridis nothas appellationes antè adscripsimus. Sunt tandem qui Petonomon à volucrum pastu nominent. Item Ferrariam, non Feriam, vt malè inter nothas Dioscoridis legitur, teste Hermolao.

Verbenæ tandem, siue Verbenacæ, Peristereonis, Hierobotanes, siue Herbæ sacræ nomine sequentes plantæ donatæ sunt. Verbena vulgaris. Verbenaca supina. Verben. odiflora. Verb. Peruana. Euphrasia purpurea Dod. Verbesina flore minùs speciosо. Chamædryos falsæ species, Erysimum Tragi. Senetio. Scabiosa. Consolida media. Gallitrichum. Marrubium palustre Tragi. Æquiuoca

VERBENA VVLGARIS. CAP. LXV.

Descriptio

VVlgaris Verbena pluribus ab vna *radice* minimo digito tenuiore, fibrosâ & subamarâ caulibus cubito longioribus assurgit, quadratis, subhirsutis & subinde purpurascentib.: *folia* ferè oppositа, oblonga, incisurâ quodammodò foliorum Quercûs, infimis duabus incisuris profundioribus: sunt ea autem vtrinque

hirsuta, sed colore saturatiore superiùs quàm inferiùs virescunt : *flosculi* in thyrsulis exigui, quinqueparti ex pallido purpurascentes.

Varia nomina. Περιστερίων & ἱερὰ βοτάνη vocatur græcè, Verbenaca, Verbena, Columbaris seu Columbina, Herba sagminalis & Ferraria, quorum nominum rationem, præcedenti capite ex Humelbergio adscripsimus. Verbenaca supina Dioscoridis, & fœmina Plinii, Romanorumq; Cicinnale : Blattaria Plinii, Columbaris, Lucinia, Lustrago, Militaria, Petonomos, Panchramos & Verminaca Hermolai. Tragus vocat Verbenam, & Verbenam 1. siue rectam : Brunfels. Verbenam masculam, Corn. Verbenam officinarum : Verbenam vulgarem Cæsalp. Verbenam 1. siue communem, flore cæruleo & albo C. Bauhin. phyt. Verbenam communem, Clus. Verbenam communem siue sacram 1. proceriorem rectam Lob. in Aduers. Verbenam Gesner. hort. Idem de coll. stirp. Verbenam albam in locis vmbrosis : Item Verbenam rariorem, pulchriorem & maioribus floribus è Prouincia: Verbenacam Matth. Lac. & Cast. Verbenacam rectam, & Verb. marem Tab. Verbenacam rectam Dodon. gall. & lat. in fol. Verbenacam rectam Dodon. Hist. Lugd. p. 1336. Verbenacam rectam, siue Peristereon Dioscoridis & Verbenacam marem Plinii Corn. Verbenacam supinam, siue fœminam Fuchsius : Hierobotanem siue Herbam sacram Dioscoridis, eiusdemque Peristereon supinum quorundam, & Verbenacam fœminam Plinii Cæsalp. Herbam sacram Anguill. & Turn.

Romanorũ Cicinnalis Blattaria Plinii.

Nom. ling. Germ. *Eisenkraut*, *Eisenhart*, & *Eiserich*, h. e. Ferrariam, a ferri duritia appellant : itemque *taubenkraut* h. e. Columbinam, pro qua voce malè Apollinaris *taubenkropff* legit, quæ Fumariæ propriè debetur : Belgæ *Iserenuyt*, & *Iserhart* : Galli *Verueine* : It. *Verminacula*, *Berbena* & *Berbenaca* : Hisp. *Verbena*, *Vrgebaom: vverbena*.

Communem Verbenam vbique secus pagorum viarúmque margines & vrbium areas, ac non rarò in ipsis etiam ruderibus nascentem, florentemque mensibus nunc æstiuis, nunc autumnalibus, ac quandoque Nouembri, virereque incipientem vidi mensis Februarii principio. Locis incultis, inquit Dodonæus, sed tamen decliuibus ac humidioribus, in vtraque Germania, Gallia, alibique iuxta sepes, semitas, & scrobes frequenter reperitur : Iulio ac Augusto floret. Sunt alii qui ad hydropem puluerem foliorum exhibeant felicissimo successu, Cæsalpinus. Cæterùm, validè desiccantem facultatem habet, adest & adstringendi ac refrigerandi mediocris vis : Commendant Recentiorum plerique teste Dodonæo eius decoctum vel succum ad pestem : puluerem verò ad hydropem.

VERBENACA SVPINA.

Cap. LXVI.

Descript. HVic quaterni aut quini sunt *cauliculi*, anguloti siue quadranguli, vti in vulgari Verbenaca, tenuiores tamen (& complures Dodon.) supini & in terram procumbentes: *folia* quoque ex viridi cæsia, vulgari similia, sed magis incisa & multifida, Dodon. profundioribus incisuris diuisa : *flos* in summis virgis vulgari similis, ex cæruleo purpureus, minor tamen: Dodon. flosculis in summis alis paruulus, eodemque modo ac ordine digestus : *semen* idem : *radix* tenuis (oblonga, Dodon.) & vulgari similis, authore Clusio, cui ἱερὰ βοτάνη, i. e. Sacra herba & περιστερίων ὑπτιος, i. e. Verbenaca supina dicitur.

Clusii iconem & descriptionem habet Hist. Lugd. p. 1337. hoc titulo : Verbenaca supina & tunuifolia Clusii : Lobel. in Obseru. pag. 290. in Icon. Plant. p. 535. inscripsit Sacram Verbenam Hispanicam minorem : C. Bauh. phyt. Verbenam 2. siue tenuifoliam Hispanicam. Dod. lat. in fol. Verbenacam 2. & supinam. Synon.

Agro Salmanticensi frequens, florens Iulio & Augusto : Belgis ac reliquis Germanis hortensis est : & quidem Hispano sata semine. Locus. Tempus.

Eiusdem est cum vulgari temperamenti, quare ad eadem vtilis, & aliquantò efficacior. Vires.

VERBENACA NODIFLORA.

Cap. LXVII.

VErbenacę nodiflorę nomine ad fratrem meum C. Bauh. ex Italia missa planta, quam supra terram spargi existimamus, *foliis* est Agerati, ex aduerso sitis, vncialibus & breuioribus, paulò quadrante vnciæ latioribus: *flosculi* perpusilli, aceruatim congesti è glomere emicant ramo extremo hærenti. Descriptio

VERBENA PERVANA PERPETVO virens.

Cap. LXVIII.

SCripsit Nicolao Monardo nobilis quidam vir Locus. ex Peru, secundũ flumina è montibus eorum regno-

regnorum delabentia plurimam Verb. crescere, illi quæ in Hispania nascitur similem, perpetuò virentem, quâ Indi in multis morbis curandis vtantur, præsertim ad omnis generis venena, & in his, qui in cibis toxicum, aut simile aliquid hauserint. Sed & nobilis quædam matrona ex Peru rediens eidem Manardo asseruit, sed multis annis ægram fuisse, cúmque plurimorum Medicorum operâ vsa fuisset, Indum tandem quendam accessisse, qui in plantarum scientia celebris habebatur, quique inter Indos Medicum agebat; Verbenæ succum depuratum illi propinasse, seq; ab eius vsu post paucos dies lumbricum eiecisse [colubrum ipsa nuncupabat] hirsutum, pede longiorem, crassum, caudâ bifidâ, deinde omninò conualuisse: Ipsam porrò Nobili cuidam viro in Peru, qui continuè ægrotabat, singulis dieb. manè eundem succum saccharo permistum vt sumeret, persuasisse [ita enim ipsa hauserat ab amaritudinem] illum deinde plurimos lumbricos reiecisse, longos, tenues, atque inter cæteros, vnum albi cinguli instar, longissimum, & tum demum integram valetudinem recepisse. Id postea consilium plurimis aliis, qui malè affecti erant, & quos lumbricos habere suspicie erat, se dedisse, ac omnes sumpto Verbenæ succo, multas ventris tineas eiecisse, & sanatos fuisse. Illud porrò remedium adeò certum affirmabat, vt vnum è suis famulis ostenderet, qui ob morbi grauitatem philtrum aut medicata pocula hausisse diceretur, quique epoto Verbenæ succo, vomitu multa variis coloribus distincta ex ventriculo reiecisset, quæ medicata pharmaca esse asserebant, deinde conualuisse, &c. de quib. prolixiùs Hist. Lugd. Clusio etiam duo miri Verbenæ effectus exempla referente, quæ hîc breuitati studentes prætermittimus.

Synon. C. Bauh. phyt. vocat Verbenam 3. siue Peruanam, Hispanicæ similem.

VRTICA ROMANA SIVE MAS cum globulis.

Cap. LXIX.

Descrip. PRimæ inter Vrticas cõmendationis est, quam Romanam à *seminis* prærogatiua indicant, quod in vtriculis glomeratim conjunctis mordacibus recluſum continetur, quod, & compressâ laterum formâ & lubricâ superficie semen Lini æmulatur, *flosculi* præcedentibus fibrosis luteolo puluisculo plenis, pediculo vnciali aut longiore appensis: *radix* non alia quàm Vrticæ vulgari: *caulis* verò rigidioribus pungentibus spinulis, pro vrida vulgatæ lanugine, donatur, perinde vt & *folia*, quæ quàm in illa altiùs multò incisa sunt: tota planta hominis altitudinem interdum multùm superat.

Synon. Hæc est illa Dioscoridis Vrtica, aliis Cnide dicta, & quidam agrestior (ἀγριωτέρα; ἀγρία Ver.) asperior, latior, nigriorque foliis, semine Lini, at minore.

Plin. Vrticam siluestrem fœminam facit, & mitiorem esse refert. Tragus vocat Vrticam Romanam quartam, peregrinam, & elegantissimam: Fuchs. Vrt. græcam siue romanam, & asperam Dioscor. Bayrus. Dod. gal. & Lob. in Adu. (vbi & romanam officinarum, semine Lini.) Vrticam siluestrẽ. Idẽ in Obs. & Ic. Plan. Pl. Vrt. Romanã & Vrt. siluestrẽ semine Lini: & sic etiam inscribit Taber. Matth. Vrticam primam: H. Lugd. p. 1243. Vrticã 1. Matthioli: Dod. lat. in fol. Vrticam vrẽtem priorem: Vrticarum vrentium maiorum primam: Vrt. marem nonnullorum: Vrt. silu. asperiorem Dioscor. & Vrt. silu. fœminam mitiorem Plin. C. Bauh. phyt. Vrt. 4. siue pilulas rotundas ferentem.

Vrtica vrentu cõmunia nomina.

Ἀγαλίσιν, auctore Athenæo lib. 3. Deipn. dicta est bono omine per antiphrasin, neque enim tactu suauis & mollis, sed aspera & iniucũda: Vel, quòd iniucundo sit tactu, pruriginem ciente. Κνίδη autem quòd lanugine noxiâ vellicet, pungat, & suo morsu sensum lacessiet, à verbo κνίζω, quod pungere & vellicare significat. Vrtica ab vrendo, quòd pruritum, postulasque igni similes excitet: vnde, & Macer ait:

-- Nec immeritò nomen sumpsisse videtur,
Tacta quòd exurat digitos Vrtica tenentis.

Nominã linguarum. Præter iam dicta vrentium Vrticarum generica nomina, sunt & hæ linguarum appellationes: germanica *Nessel*: Belg. *Netelen*: Gall. *Ortie*: Italica, *Ortica*: Hispan. *Hortiga*. Angl. *Nettel*: Boh. *kopriva*: Ægyptia *Selepsio*, vel *Selepsion*: Arab. *Humure vrauth*, Dacica *Dyn*.

Particulariter verò Vrticam præsentem Germ. vocant *Vvelsch Nesselen*, Italicam Vrticam, & *Romisch Nessel* Vrticam Romanam: Belgæ etiam *Roomsch Netelen*: Galli *Ortie Grecque*: quòd rarior sit, neque vbique occurrat, at semine aliunde misso, subinde spectaculi causâ, in hortis seratur, vnde & hortensem cognominauit Tragus.

Locus & Tempus. In densis siluis nõ rarò apud Belgas reperitur. Æstate vigens, & semen Iulio & Augusto maturans, Dod. Ego Vrticam globulis celebrem Monspelij passim in sepib. obseruaui, florentem & semina ferentem mensib. Aprili, Maio & Iunio. Basileæ in pratis, Geneuæ & Montbelgardi in horto meo proueniebat, sed Hiemem non perferebat.

VRTICA VVLGARIS MAIOR.

Descrip. VRtica maior, vridâ lanugine, quâ *caules* quadrati cubitales, *foliaque* acuminata serrataque atro-virentia aut subflauescentia obsita sunt, notissima, rubentib. nonnihil radicibus nititur: *flores* racematim in ligulis ex foliorum alis proferens, lanuginis incanæ instar. *Semen* perquàm minutum.

Tragus duas habet figuras, non tamen duas, sed vnam hanc Vrticam denotantes, Vrticarum vrentium vulgarium inscriptione: prior florentem & vigentem, posterior verò iam declinantem defloreſcentemque demonstrat: non est itaque verum, quod quidam ineptiunt, eum duas figuras solo foliorum, nunc spadiceorum, nunc nigriorum, colore variantes exhibuisse. Ipsemet enim duas has Vrticas, quas magnas & vrentes appellat, vnius generis esse scripsit.

Eius frustra duas figuras expressit Tragus vtpote solo colore differentes: quod non monuit Frater, nec fortè animaduertit. An etiam hæc sit Dioſc. altera illa ἀκαλύφη, quam Cniphen vocant, Romani verò Vrticam mollem, minuto semine [fructu, Ald.] non æquè aspera, vt vult frater, aliis diiudicandum relinquimus. Fuchsius refert eam se nunquam videre potuisse: nostram autem Vrticæ maioris titulo pingit, ac passim in Germaniæ dumetis ac sepibus gigni scribit. Lobel. in Adu. Obs. pag. 281. & Ic. Plant. pag. 521. appellandam duxit Vrticam siluestrem asperiorem, siue Vrticam communem, siue maiorem, aut Vrticam fœminam. Pro Vrtica pingitur ab Apollinari: pro Vrt. maiore à Brunfels. & Dod. gall. ad differentiam minoris: pro Vrtica vrente altera à Dod. lat. in fol. qui vulgò fœminam cognominari refert. Germanis dicitur *Gemein Neſſel, gemein brennend Neſſel, groſz Neſſel, gros brennend Neſſel*, & *heytter Neſſel*: Belg. *Groote Neten*: Gall. *Ortie commune*: Angl. *Nettel*.

C. Bauh. not.

Locus & tempus.

Exit locus incultis: frequentior autem est iuxtr sepes, dumos, veteresque parietes sponte: nascitur quandoque etiam neglectim in hortis, odiosa nimis suo reptatu, & viuida radice. Viget præsertim Æstate: semen Iulio & Augusto maturum legi potest.

VRTICA MINOR annua.

Descript.

TOta est hæc minor: neque enim pari altitudine vnquam exsurgit, neque folia Vrticæ maioris molem assequuntur: vrentior tamen est, folio atrouirente & rotundato ferè: flores racemosi, albi: radix non dissimilis, nisi quòd minor.

Falsò maioris Vrticæ titulo donatur à Trago, id quod ex sequentibus eius verbis colligere quilibet potest. Tertia vulgaris Vrtica, inquit, quàm *heyter Neſſel*, hoc est, causticam, siue ardentiorem Vrticam, Germani dicunt, admodum exiguæ quantitatis est, rarò enim ad altitudinem trium palmorum assurgit, caulis eius rotundus, radix brevior, folia angustiora, semen verò maius. Vrtica est alsiosa, hyemis impatiens: quare singulis annis, ex semine deciduo repullulascit, hortorum omnium singularis pestis. Hæc ille. Tu verò ex his colliges, tertiam hanc suam vulgarem Vrticam, minorem inscribi debere, præsertim quòd rarò ad altitudinem trium palmorum assurgat, prior verò colore foliorum ludens ad trium cubitorum altitudinem excreſcat.

Synony. cum nominibus linguar.

Fusch. Cord. Tabern. Dod. gall. & Lob. in Adv. (vbi tamen & Caniam Plinij acriorem vocat) itemque Brunfels. Vrticam minorem appellant. Lobel. in Obs. pag. 522. Vrticam minorem acriorem: H. Lugd. pag. 1244. Vrticam 3. Matthioli: C. Bauh. phyt. Vrt. 3. siue vrentem minorem. Dod. lat. in fol. Vrticam vrentem minimam, & Vrt. vrentem tertiam: Tragus Vrticam maiorem inscribit, sed falsò, vt ex descriptione constat. Germani *Heyter Neſſel*: Belgæ *Heyte Netelen*: vtrique à mordaci eius contactu appellant. Illi etiam *Haber Neſſelen*, quod nimirum in Auena nasci multùm amet. Galli *Ortie greſle*. Sitne autem hæc, quam Plinius Caniam nominat, vel potiùs prior, studiosi obseruent: Est in siluestri, inquit, quæ Cania, acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis.

Locus & tempus.

Vrtica hæc minor annua quanquam à maioris natalibus haud abhorreat, tamen & ad hortos, & humidiora arua descendit: eodem tempore quo illa & viget & floret, & etiam alibi, vt Geneuæ, citiùs.

Vires & vsus Vrticarum omnium.

Quælibet vrentium Vrticarum innatam malitiam infinitis commodis & vtilitatibus pensat. Vtriusque (Vrticæ asperioris, & mitioris) enim folia imposita cum sale canis morsus sanant, inquit Dioscorides, gãgrænas, carcinomata, ac sordida vlcera, & cacoethe: item luxata, tubercula, parotidas, panos, abscessus. Eadem lienosis cum cerato imponuntur. Faciunt & ad sanguinis è naribus eruptiones folia cum succo trita indita. Menses cient trita cum Myrrha subdita. Vterum prolapsum restituunt folia recentia admota. Semen ex passo potum ad venetem concitat, & vterum aperit. Idem cum melle delinctum Orthopnœæ, pleuritidi & peripneumoniæ prodest. Educit & quæ in thorace hærent. Admiscetur quoque erodentibus medicamentis: at folia cum conchis cocta aluum emolliunt, vrinas mouent, inflationes discutiunt, verùm cum ptisana cocta, quæ in thorace hærent, educit. Decoctum foliorum cum modica Myrrha menses mouet. Succus gargarizatus vuluam inflammatam reprimit [malè exprimit vertit Ruellius.]

Plinius.

Plinius Vrticæ vires & vsum medicum exponit planè ex Dioscoridis sententia, sed fusiùs, vt Dioscoridi intelligendo non parum lucis adferat. Vrtica, inquit, quid esse inuisius potest? At illa præter oleum, quod in Ægypto ex ea fit, vel plurimis scatet remediis, &c.

Galenus.

Galenus euidentiùs & vires & effectus Vrticæ tradit, tanquam de vno genere loquens. Vrticæ herbæ & semen & folia [nam hæc potissimùm sunt vsui] admodum digerentis sunt facultatis, adeò vt & phymata, & parotidas sanent. Sed & quiddam flattuosum obtinent, quo & venerem extimulent, maximè si cum passo semen bibatur. Porrò quod non vehementer excalfaciat, sed multùm tenuium sit partium, testimonio est crassorum viscosorumque humorum ex pectore, pulmoneque eductio, tùm quod partes quas contigerit, pruriant. Porrò flatuosum eius, cuius esse particeps dicta est, dum concoquitur,

nascitur.

naſcitur. Non enim actu flatuoſa eſt, ſed facultate. Ventrem autem ſubducit modicè, ipsâ duntaxat abſtertione, ac veluti titillatione, non purgatione. Et gangrenoſa & cancroſa, & in totum quæ exſiccari citra mordacitatem poſtulant, ea conuenienter ſanat nimirum cùm ſubtilium ſit partium, & temperaturæ ſiccæ, non tamen tantùm habens caliditatis, vt mordicet. De Vrtica apud Macrum extat poëma:

Græcus Acalephen, nos Vrticam vocitamus,
Feruida non modicè vis illi dicitur eſſe,
Vnde nec immeritò nomen ſumpſiſſe videtur,
Tacta quòd exurat digitos Vrtica tenentis.

Iuniorum dogmata. His ita traditis ex veterum ſententia, reliquum eſt, vt & Iuniorum noſtri ſæculi Medicorum de virentium Vrticarum facultate & vſu dogmata annotemus. Omnes tres, inquit Tragus temperaturâ ſuâ ſiccæ ſunt, quamobrem reſoluunt, diſcutiunt, & incidunt duros tumores ac puſtulas, & ſi quæ alia à pituita detinantur, iſque tam in internis, quàm externis corporis partibus efficiunt. Minor verò, quam Germani *Vetter Neſſel* vocant, viribus duabus reliquis inferior eſt extrinſecùs adhibita, niſi recens adhuc illa fuerit. Omnium itaque folia vino decocta & pota, aluum emolliunt, diſcutiunt flatus, cohibent tormina, maximè ea, quæ non à conſtipatione aui orta ſunt, vrinam cient, purgant lumbos, Venerem ſtimulant. Tuſa, & cum ſale, ritu emplaſtri, impoſita, vulneribus & canis rabidi morſibus medentur, experientiâ id atteſtante: Pari ratione ſordidis, putridis, gangrænoſis ac malignis vlceribus auxiliantur. Quin & talia cataplaſmata incidunt collectiones omnes, & duritias, abſceſſus, frigidóſque tumores, ſiue ij ſint in articulis, ſiue in liene, aut ſecundum aures. *Semen.* Semen in ijs morbis, quibus folia ex vino decocta conueniunt, efficacius eſt, ſi ſapâ decoquatur, aut ex illo cum melle eclegma fiat. Sed aqua deſtillata in memoratis ægritudinibus vſu commodior eſt, & aliquantò mitior: purgat enim & abſtergit omnia vulnera tam interna, quàm externa, ſi bibatur, vel ſi ex illa abluantur. Radix magnæ pungentis vino & melle decocta, haud vulgare medicamentum eſt contra frigidas tuſſes, & orthopnœas: purgat namque fiſtulas ſpirituales pulmonis, & quæ in thorace ſunt educit, pectoriſque vitia emendat, diſcutit pleuritides, & vuæ affectiones curat, alióſq; morbos, qui ex viſcoſo humore ſuboriuntur, menſura trium, vel quatuor ligularum pota ac gargariza ta.

Temper. Dod. Temperamento autem Vrticam ſiccam quidem Dodonæus quoque ſtatuit, calentem verò exiguum, & vix primo ordine; vim tenuium partium ſimul obtinentem. Neque enim ex eo vrere, aut mordicare nouit, quòd impensè calida ſit; ſed huius cauſam eſſe admiſit lanuginem eius rigentem ac duriuſculam, aculeorum inſtar pungentem, cuíſmque vellicantem: ſiquidem flaccida facta ac decocta Vrtica, haudquaquam vrit, lanuginis nempe remiſſo rigore.

Vrtica frigida. Sed & Langius libro ſecundo epiſtola 33. virtutem Vrticæ adurentem ſuperficie tenus manere teſtatus eſt: intus verò tantùm frigoris latere, vt ea contuſa arteriis metacarpij ac temporum applicata, febris feruorem extinguat in corde.

Cæterùm, Vrticis bene contuſis, emplaſtri vice ventri impoſitis, neque citò inde dimotis, ſe matricem & retrahere, & reductam vſque continere, quidam certo experimento jactant, vt videre eſt libro 6. cap. 9. de conceptu apud Iacob. Rueff. Bayrus de morb. diſtinct. 1. tract. 5. cap. 3. Vrticam cum vino potatam epilepſiæ conferre ſcripſit. Quin & apoplectico loquelâ deſtituto, vt quamprimùm ſermo redeat, Vrticæ ſemine linguam fricandam præcepit Empir. Wirtembergicus. Bouius ad arthritidis dolores mitigandos, & humorem peccantem per euaporationem reſoluendum reprobat narcotica, laudátque potiſſimùm ſorum cum decoctione Vrticarum viridium, aut ſiccarum, vel etiam radicum. Corpus hominis Vrticis perſtricare, melancholiam non parum iuuare ſcribit Cardanus. Nunc ſi velis manus ſimul atque faciem teneram, albámque efficere: cape, authore Fallopio, Vrticæ folia & radices, decoque in aqua, iſque manus faciémque ablue, tum pulchram reddes, albam, tenellámque. Vrticæ radicibus deraſo cortice virente vtuntur Chymici ad purificandam aquam vitæ, imponúntque eas in cucurbitam cùm ſecundò diſtillant.

Ille tandem, qui ſemen Vrticæ comederit, oris, linguæ & gutturis excoriationem patietur (referente Petro de Abano de remed. venen. cap. 50.) itemque arſuram & ardorem in mictu: Horum autem malorum curam eſſe ait, oleum Amygdalarum dulcium epotum, Bezoar, & grana Citoniorum trita & pota cum aqua calida.

Nouimus iuueni cuidam ab adultera & laſciua meretrice ſemen Vrticæ propinatum, quo tardior aliàs ad actum venereum excitaretur. Vnde Iuuenalis: Irritamentum Veneris languentis, & acres Vrticæ.

Præter prædictos illos vſus, autor eſt Alpinus, mulieres Ægyptias nihil habere quo valentiùs vterum calefaciant, mundent, atque ab obſtructionibus liberent, quàm vrticam, ex qua ad mouendos menſes ſeminis decocti arque ſuffiti vſus eſt apud ipſas frequentiſſimus: maximéque addita myrrha.

Vrticæ morſus medela. Cæterùm, æſtum & puſtulas ab Vrtica excitatas reſtinguit & ſanat oleum Roſarum, itémque Oliuæ. Sed & Nicotianæ ſuccus, aut ſpiſſamenta, aut folium viride ex fricatione madens confeſtim læſionis dolorem amouet & prorſus tollit, ſi quis loco ex Vrticæ contactu aduſto, horum vnum applicauerit.

CANNABIS MAS ET FOEMINA.

CAP. LXX.

Deſcriptio. DVum generum Cannabis paſſim obſeruatur cultra, mas videlicet & fœmina, ſiue fœcunda & ſterilis: ſurgit vtraque homine altior (licèt fœmina mari altitudine cedat) *caule* quadrato, cauo, cortice in fila ductili tecto, ſingulari, interdum ſuperiùs diuiſo: *folia* in quatuor, quinque aut plura ſegmenta ad pediculum vſque ſubdiuiduntur, ſerrata, arrouirentia, aſpera, odore caput tentanti: *flores* vni muſcoſi luteoli in puluiſculum leui concurſu abeunt, nullo poſt ſe relicto *ſemine*: altera ſpecies nullo præeunte flore *ſemen* copioſum fert, nudum, ſecundùm caules, ramóſque, oleaginoſum.

Icon. Icon noſtra, quæ ex Fuchſianis eſt, fœminam demonſtrat.

Cannabis ſatiua Dioſcor. Cannabim ſatiuam marem Dioſcorides folia Fraxini [τῆς μελίας, pro qua voce malè interpretatus eſt Marcellus τῆς μηλέας, Mali:] gerere

ſcripſit, ſed fœdi odoris, caules proceros, inanes, ſemen rotundum. Galenus ſimilem Vrticæ facit non ſolùm figurâ, ſed & facultate. Plinius inter Cannabin hanc ſatiuam & ſiluſtrem minùs ingeniosè diſtinguit, & vires vtriuſque miſcere videtur.

Cannabis fœmina.

Quoniam porrò in ſyluestris Cannabis mētionē incidimus, meritò quoque eam ex Dioſcoride conſideramus. Syluestris Cannabis, inquit, virgas fert Althææ virgis ſimiles, ſed nigriores, aſperiores, & minores, cubiti altitudine: folia ſatiuæ ſimilia, aſperiora tamen & nigriora: flores ſubrubicundos. Lychnidi ſimiles: ſemen & radicem Althææ ſimilia. Radix cocta & impoſita vim habet inflammationes mitigandi, & tumores diſcutiendi, & tophos in articulis diſſoluendi. Sed & ex hac cortex eſt idoneus ad funes texendos. Et hanc Dioſcoridis Cannabim ſilueſtrem nobis adhuc ignotam ingenuè faremur. Illud nobis liquidò conſtat quoſdam Vrticæ inerti affinem plantam feciſſe: alios verò Clinopodij alterius Matthioli genus album conſtituiſſe: ſed nec de eſſe, qui Alceam vulgarem maiorem credant: reperiri tandem nonnullos, qui Alceam Pentaphylli folio eſſe ſibi perſuadeant. Et hæc de Cannabe ſilueſtri hic nobis dicta ſunto.

Silueſtrem Cannabim, Hidraſtinam & Terminalem cognominatam, nos non habemus [inquit Tragus] niſi per illam ſubintellexerit vnam ſatiuæ ſpeciem Dioſcorides, aut certè, quod puto, caput illud redunder. Nam ſyluestrem Cannabē primò cōtra cōſuetudinē ſuam ponit loco, deinde ſatiuam. Sed & Pliniū tria Cannabis genera deſcribentē, quarū primam & optimam Meſam, Mileſiam alteram, tertiam Roſeam nūcupat, de ſatiua dūtaxat Cannabe loqui, vel hinc liquet, quòd ſilueſtris nuſquam mentionem faciat. In libro quidem 20. cap. 20. rem pauciſſimis attingit verbis. Sed de noſtra vulgari intelligi ea verba commodè poſſunt.

Sed relictâ Cannabe ſilueſtri, ad ſatiuæ hiſtoriam redeamus. Duorum itaque naſcitur generum ex vno eodemque ſemine, Mas & fœmina, quæ vtraque pingitur apud H. Lugd. p. 494. Marem inſcripſit Lobel. in Obſ. pa. 284. in Ic. Plant. pag. 526. Cannabem 2. ſiue maiorem, ſemen ferentem, maſculam, & Cannabem Dioſcoridis: Dod. lat. fol. Cannabem fœcundam, flore non conſpicuo: C. Bauh. phyt. Cannabem 3. ſiue ſatiuam: Fœminam Lobel. modò citatis locis, Cannabem erraticam paludoſam ſilueſtrem, ſed falſo titulo: Tragus Cannabem ſatiuam inſcripſit, ac primā ſiue fœmellam, tenuem, & ſemine deſtitutam vocauit: Dod. in fol. lat. Cannabem ſterilem, flores inutiles & vaneſcentes proferētem: Caſ. Bauh. phyt. Cannabem 2. ſiue erraticam: Miror autem Fratrem non meminiſſe Cannabis fœminæ, quā ſub falſo titulo Lobelius exhibuit. Vtramque etiam vnâ icone Cannabis inſcriptione cur comprehendat Tabern. rationem non video: is ſæpiùs ſolo colore diſſerētes iconibus ſeparat. Sed & Camer. apud Matthiolum iconem nouam ex mare & fœmina compoſitam, Cannabis titulo dedit. Cord. Corn. & Brunfelſ non diſtinguunt.

Κάννα βις. καννάβιον, ἀ σ τέριον, & σχοινότοφον, à texendis ex ea funibus, Græcis dicitur: Hebræis ſeu Thalmudiſtis græcam vocem imitantibus, teſte Elia in Nomencl. *Kannaſos* vocatur: Arabibus *Canab* & Sphedenegi appellatur: Medici tamen differentiam cōſtituūt inter Scehedenegis quod eſt ſemen Cannabis, & inter Scedenegi, qui eſt Æmatites lapis, qui ſanguinē ſiſtit, & inter Scheteregi, qui eſt Fumus terræ, vide Auicē. lib. 1. cap. 174. & 665. Latini *Cannabē* dicunt: officinæ nomen retinent: Sunt autem Græcis κανναβεῖ fonticuli, ſparcæq; ſcaturigines, quibus locis cùm lubens ſpontè & ſata luxuriet, videtur id nominis Lobelio indepta: Germanis *Bampf* Belg. *kemp*: Gallis *Chanure* & *Chenene*: Ital. *Canape*: Hiſpan. *Cannamo*: Angl. *Bimp* & *Beinp*.

Mirum naturæ.

Porrò ambæ Cannabes, ex vno, vt diximus, ſemine procreantur, ſed quâ ratione hoc intra terrā perficiatur, vt altera ex illis fructifera, altera verò ſterilis ſit, nemo eſt qui ſcire poſſit, ideoq; cùm alia multa, tū etiā hoc ipsū naturæ eſſe miraculum neceſſe eſt vt dicamus. Vtraque autem quotannis Vere paſſim in agris & hortis plantari conſueuit, nec vnquā ſua ſponte ſilueſtrem obſeruare nobis contigit, & pluribus alis luxuriantem, qualem Dodonæus commemorat.

Locus.

Solum, vt Columella ſcribit, pingue, ſtercoratumque & riguum, vel planum atque humidum & altè ſubactum depoſcit. In quadratum pedē ſeruntur grana ſex eius ſeminis Arcturo exoriente, quod eſt vltimo menſe Februario circa ſextum aut quintum Calendas Martias. Nec tamen vſque in Æquinoctium vernum, ſi pluuius cœli ſtatus, improbè ferretur. Fœmina prior matureſcit, meliorque ac prę ſtantior eſt ad pannos conficiendos: mas verò apta ad ſui generis conſeruationē. Fœmina matura Iulio vellitur. Maris ſemen fine Auguſti, vel Septembri menſe, maturum legitur.

Vires & vſus.

Cannabis plantam in vita admodum vtilem pronunciauit Dioſcorides, ad robuſtiſſimos funes texendos: Semen verò ſi copioſius edatur, extinguere genituram: ſuccum è viridi ſemine expreſsū ad aurium dolores commodè inſtillari. Cannabis autem ſemen olim in cibo homini fuiſſe, docet Galenus 1. Alim. his verbis. Non quemadmodū plāta ipſa Cannabis Vitici quodammodò eſt ſimilis, ita ſemen ſemini facultate eſt ſimile, ſed plurimùm ab eo diſſidet, vt quod concoctu ſit difficile, ſtomachoque ac capiti noceat, prauique ſit ſucci. Sunt tamen qui eo quoque frixo cū alijs tragematibus veſcuntur. Tragemata autem voco ea quæ poſt cœnam voluptatis inter bibendum excitandæ gratia mandūtur. Multùm autem calfacit, ideoque ſumptum

paullò

paulò largiùs caput ferit, vaporem ſurſum ad ipſum mittens calidum ſimul ac medicamento-ſum. Semen (addit 7. ſimpl.) flatus extinguit, adeóque diſſipat, vt ſi pluſculum edatur, genituram exſiccet. Sunt qui ex eo viridi ſuccum exprimentes, ad aurium dolores, ab obſtructione, vt opinor natos, vtantur.

Simeon Sethi. Non eſt ſilentio prætereundum, quod de ſemine Cannabis Simeon Sethi prodidit. Comeſtum, inquit, idem nocumentum quod Coriandrum affert: immodicè enim ſi eſtur, vt illud delirium facit: folia verò arida in potu ſumpta farinæ modo, ebrietatem quandam hoſpitalem & innoxiam faciunt, quæ ab hauriente non ſentitur. Apud Arabas pinſitur, ſubigitúrque pro vino, & inebriat. Deſiccat verò ſemen genitale, vt Caphura.

In Francia Orientali, referente Trago, aliiſque nonnullis regionibus ſemen Cannabis quotidie inter cæteros cibos decoquitur, non aliter quam *In cibos venit.* Hordeum, ſed reuera qui continuò hujuſmodi ſemine in cibo vſus fuerit, is non parum lædetur, namque ſemen Cannabis ſtomachum frigidum & debilem reddit, & genituram extinguit. Idem ſemen lacte decoctum & calidum potum, aridam calidamque tuſſim emendat & expellit.

Matth. Gallina feraciores. Cannabis ſemen in gallinis contrarium, ac in nobis, efficere, tradit Matthiolus, ſiquidem gallinas ouorum feraciores reddit, experientiáque ſeſe comperiſſe ait, gallinas, quæ Hieme ſequête, quo tempore oua rariùs pariũt, Cannabis ſemine paſcantur, oua frequentiùs multò ponere. Cannabis recentis decoctũ expreſsâ validè herbâ, terreſtrium lumbricorum cauernulis inſperſum, ſtatim eos euocare idem affirmat, quod piſcatoribus acceptum referendũ eſt, qui hac arte vermiculos capiunt ſuis hamis affigendos, vt rectè ſcripſerit ſuccum ejus vermiculos ex aurib. ejicere. Ex his etiam colligi poteſt, ejus vires ad interaneorum vermes haud imbecilles fore. Equorum etiam ſedi hærentes tænias, ſuccus aut decoctum ejicit. Sunt etiam qui foliorum puluerem dyſentericis propinent. Quod Plinius de radice dixit ambuſtis ſæpiùs admouenda, & amouenda, commodiùs præſtabitur, ſi recens in mortario tundatur, cum recente butyro & ſubinde applicetur.

Ruſtici Belgæ apud H. Lugdunenſẽ, ſeminis contuſi medullam liquore aliquo expreſſam ictero laborantibus initio ipſius mali exhibent, & ſæpe non ſine ſucceſſu, ſi quando ex ſola obſtructione & citra febrem exoritur. Aperit enim fellis meatum, & bilis per corpus digeſtionem promouet. Empirici quidam aſſerunt ſanguinẽ ex quacunque parte corporis fluentem ſiſti, ſi qui exit ſanguis cum foliis Cannabis minutim conciſis, frigatur, & ægro pro cibo detur.

Cunctis populis denique Lobelio teſte, penuriam Lanæ, Lini, Xilique reſarcit, ad veſtium ſtragula, velorum, papyrum, quamlibet denique ſuppellectilem. Mas robuſtior rudentibus & capiſtris torquẽdis nata habetur, mulierculis adagio iocantibus dicentibúſque eſſe fœminam potiorem mari. Hujus autem ſemen eſt non parum ad multa proficuum: ex eodem oleum preſſum tumoribus & ſcirrhis opitulatur, lucernis alit lychnia & lucem. Lac etiam vel pultes ejuſdem macerati, aut juſculis decocti, fluxiones ſiſtit diuturnas, dolores, repentinóſque flatuum vortices, & humorum fluctuationem compeſcit: ſomnum conciliat. Vſus tamẽ nimius moleſto ſopore perfundit, tritum capiti, vel pedib. imis admotum, haud abs re icteri humores, vaporéſque tenues à centro auertere & euocare putatur. Radices podagricis tophis proficuæ. Odorem grauem & nonnihil viroſum eructat, & vel capitis in eo decubitu temulentos facit. Succus verò foliorum certa pernicies inſectis interaneis, & vulnerum putridorum alumnis: non quâ facultate idem foliorum Perſicæ, aut Iuglandium putaminis ſuccamentum efficit: ſed vapido, tetroque ſitu, odore & exſiccandi vi, quâ alimentum præripit illis & populatur excrementis diſſipatis: multùm alimoniæ ſuggerit gallinis, cortalibúſque: ſed Hyeme fœcundiores, poſtea ſteriles, & quaſi pinguedinis mole obrutas reddit. Auiculis etiam cibus eſt, ac tantum ſaginæ adfert, vt aut enecet, aut cantillandi adimat alacritatem & facultatem, vt carduelibus, linottiis. Lacunis aut ſcrobibus aquæ plenis merguntur vtriuſq; ſexûs faſces & manipuli, vbi macerantur, eluuntúrque multùm & diu: deinde ſiccantur in Sole, vt tundantur, ac demùm cortices ſtaminei tundendo velluntur, vt Lino fit ad filum & telas. Sed lacuſtris aqua, cui intabuerit, tantopere viru nocet, vt epota præſentiſſimo ſit ſitientibus exitio, cuique antidotis præſtantiſſimis, tempeſtiuè etiam datis, occurri non poſſit. *Noxæ.*

BANGVE CANNABI SIMILE.

CAP. LXXI.

Deſcript. Garciæ. BAngue planta eſt Cannabi haud abſimilis, niſi quòd hujus ſemen cãnabino minus eſt, nec ita cãdicans vt illud: deinde hujus ſtolones lignoſi, nullo ferè cortice veſtiti, contrà quàm cannabini, auctore Garciâ, qui ab Acoſta in quibuſdam diſcrepat: Bangue ſimile ferè eſt, ait hic, Cannabi: caulem habet quinque palmorum altitudine, quadrangulum, colore dilutiùs virente, fractu contumacem, nec adeò concauum, vt cannabinus caulis, cujus cortex non minùs quàm illius in fila diduci poteſt: folia cannabina ſupernè virentia, infernè incanâ lanugine pubeſcentia, guſtu terreſtri & inſipido. Nos à Thoma Platero ſemen accepimus nomine Bangue, quod ad Strammoniæ primæ ſemen aliquatenus accedit, ruſſum, acferè ſpadiceum, compreſſum, acuminatum.

Nomina. Nonnulli in ea opinione fuerunt, vt Bangue Indorum, authore Garciâ, ab Opio differre non putarent. Acoſta tamen dici refert Arabibus Axis, Turcis Aſarath, Perſis, Decan, plurimarum aliarum regionum Incolis Bangue, quod plurimam affinitatem habere videtur Cluſio cum Turcarum Conſtantinopoli degentium Maſlac, quo ad varios affectus vtuntur, nonnulli etiam veſcuntur excitandæ veneris gratiâ. Dubitat tandem Fragoſus, an herba hæc ab Indo allata, illa ſit, cujus meminit Theoph. lib. 9. cap. 20. pl. Hiſt. ſed quàm aptè, neſcit ipſe Cluſius. H. Lugd. pag. 1914. Bangue inſcribit: C. Bauh. phyt. Cannabem 3. ſiue Cannabi ſimilem exoticam. Huc autem reducitur propter foliorum cum Cannabi, & corticis in fila ductilis ſimilitudinem, aliàs enim auctores contrarias facultates huic tribuunt, videlicet, quod genitale ſemen multùm juuet.

Vires, & Vſus. Indi, inquit Acoſta, ſemine & foliis veſcuntur, cùm vt validiores in re venerea fiant, tum ad

excitandam cibi appetentiam. Fit ex hoc Bangue compositio vulgaris admodum vsûs, in ijs regionibus, ad varios effectus: etenim magnates & militiæ præfecti, vt laborum obliti securiùs & liberiùs dormiant, seminis & foliorum in puluerem redactorum, quantùm videtur, sumunt, illique addunt Arecam, siue Auellanam Indicam viridem, & Opij nonnihil pro arbitrio: omnia saccharo excepta deuorant: si verò in somno varias rerum species sibi obuersari cupiunt, addunt selectissimam Camphoram, Caryophyllos, Nucem moschatam & Macis: si verò hilares esse volunt & faceti, & præsertim in venerem procliuiores, Ambaro & Moscho additis saccharo excipunt, & electuarium faciunt. Multi autem affirmarunt, hujus semen & folia ad libidinem ciendam miræ esse efficaciæ: vnde colligere licet, nihil affinitatis habere cum Cannabi, licèt illi admodum similis sit: quandoquidem auctore Dioscoride, Cannabis calida & sicca est, & genituram extinguit.

TOCCON, HERBA BRASILIANA, cortice cannabino.

CAP. LXXII.

Descriptio. BRasilianorum herbæ Toccon cortex, Cannabis modo detrahitur, cannabino fortior, filo, cui spinam subjungant ad piscandum, parando accommodus. Ex eodem arcuum funes fiunt, qui licèt tenues sunt, equis tamen ad sua pondera vehenda, fortitudine sufficiunt, Leri authore, cap. 12. & 14.

CARBASVS VETERIBVS.

CAP. LXXIII.

ANtequam de Lino verba faciamus, Laconicam de Carbosa tractationem instituere placuit. Et Hispania citerior habet (inquit Plin. lib. 19. cap. 1.) splendorem Lini præcipuum, torrentis in quo potitur natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira [magna M.] ibi primùm Carbasis repertis.

Lini genus. Carbasum autem esse Lini genus miræ tenuitatis palam fit ex jam relatis Plinij verbis. Quin & Dalechampio Carbasus ât Lini genus quo texebatur vestis magni pretij, antiquis in deliciis habita. Et confirmatur hoc authoritate plurimorum scriptorum. Carbasina enim vela primus in Amphitheatrum duxisse traditur Lentulus Spinter in Apollinaribus ludis, mox Cæsar Dictator, teste Plinio. Verres, vt Cicero perhibet, Æstate summâ tabernacula carbaseis intenta velis in littore collocari jussit, vt totos dies cum impudicis mulieribus perpotaret. Virg. 11 Æneid.

---tum croceam chlamydemq; sinusque crepantes.
Carbaseos, fuluo in nodum collegerat auro.

Item 8. Æneid.

---eum tenues glauco velabat amictu,
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo.

Lucanus lib. 3.

Fluxa coloratis astringunt Carbasa gemmis.

Propertius.

Exhibuit vinos Carbasu alba focos.

Ex quibus locis, atque etiam ex Quinto Curtio lib. 8. de Indis loquente, intelligi potest, hoc quoque virile esse vestimentum. Sed & muliebre esse satis constat ex Val. Maximo, loquente de Æmilia virgine Vestali lib. 1. cap. 1. quâ adorante, cùm Carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit.

Xylon. Nunc & Linum candidissimum ex Ægypto, Cottonem nonnulli & Carbasum per conjecturam vocant, &c. Vide Xylon, siue Gossypium.

Tela Baptista. Carbasum quidam id genus linei panni esse putant, quod Telam Baptistæ, & Telam Holandicam, & Telam Cameracensem vocant. Hæc postrema aduehitur ex Hispania.

Pallium. Carbasus est pallium, quo quis amicitur opulentiæ causa, vt ex Serico, aut tenui Lino. Vide Andr. Tiraquellum comm. de leg. connubialibus leg. 3. gl. 1. part. 3.

Velæ. Carbasus tandem de velo, instrumento nautico, habetur, vt ex locis hîc annectendis colligitur. Virg. 3. Æneid. *---& auræ,*
Vela vocant, tumidoque inflatur Carbasus Austro,
Item 4. Æneid.

---vocat iam Carbasus auras:
Puppibus & læti nautæ imposuêre coronas.

Ouid. 11. Metam. *totaque malo.*
Carbasa deducit.

Itē 13. Metam. *Mota secundo flatu sonant Carbasa.*
Epist. *Præbere ventis Carbasa.*
Fast. 3 *Torto subducere carbasa Lino.*
Statius 4. Silu. *Aurâ ventilantur Carbasa,*
Martial. lib. 12. epig. 29.
Festinant trepidi subtrahere Carbasa, nautæ.

Carbasus Carbasi penultimâ correptâ est fœminini generis secundùm Priscianum: masculini secundum Phacam. Probus verò & Caper dicunt esse masculini & fœminini in singulari: in plurali verò neutrius. Græcè dicitur, ἄρμενος καὶ ἄρμενον, ου, τὸ, velum.

LINVM.

CAP. LXXIV.

Descriptio. VVlgò notum Linum tenui, *radiculâ*, nititur, *caule*, tereti, plurimùm simplici, inani, cubitum, aut sesquicubitum alto, alis circa summum diuiso: *folia*, acuminata, culmum lata, vncias duas plùs minùs longa, alternatim cauli apposita: *flores*, cærulei, quinque partiti, striati, quos *capitula*, excipiunt rotunda, in quibus, *semen* fuscum, lubricum, latum.

Synonyma cum nominibus linguarum. Λίνον, Græci vocant, Linum Latini & officinæ: Linum germanicum Tragus: Linum satiuum vulgare cæruleum Lobel. in Adu. & Ic. Plant. p. 42. In Obs. pag. 225. Linum Aduersariorum: C. Bauh. phyt. Linum 1. siue satiuum. In Dioscor. Annon, Pænis, & Zeraphoes cognominatur.

Quemadmodum

Quemadmodum autem linguâ latinâ & græca Tela linea, & ipsa Lini herba communi nomine λινον & Linum dicitur, ita apud nos Germanos Linum siue in agro, siue domi ad textûram, & telam apparatum commune nomen retinet *flachs*. Tametsi non desunt, qui Linum nondum euulsum, Linum agreste, & Linocalamum; contrà verò telam ex Lino textam, Linum domesticum seu vrbanum vocitent. Belgæ nominant *Vlachs*, Galli *Lin*, It. *Lino*, Hisp. *Lino*, Angli *flax*, Bohemi *Len*, & vt Hungari. Arabes feminis tantùm meminere, vocantes illud *Bizechichitem*, seu vt Serap. placet, *Bazarichichen*: Hebræi *Pistah*, Chaldæi *Chisna*: Exod. 9. Onkeli: Græci λινοσπέρμα & λινοσπέρμα: Germani *flachs Linsamen*.

A Lino varia ducuntur adagia, v.g. *Linum lino connectis*, cuius duplicem apud Græcos interpretes sensum inueniri perhibet Erasm. Roterodamus: Horum alter est: infirmis infirma copulas, friuola friuolis. Alter: eadem non iisdem rationibus facis, aut dicis. *Vltra Linum* dixit Lucianus in Ioue redarguto, pro eo, quod est extra decretum fatale. Est & tertium prouerbium *Candidum Linum lucri causa ducis*, quod in eum quadrat, qui
Locus. dotis causa ducit vel deformem, vel anum. Est & quartum: *Qui canem alit externum præter Linum nihil habet*, i.e. præter funiculum ei nihil sit reliqui. Qui beneficium collocat in ingratum, perdit operam. Nam canis alienus relicto fune, quo alligatur, pristinum dominum repetit.

Theophrasto visum fuit, Linum degener factum, in Lolium abire. Nostrates coloni sibi visum pernegant, aut auditum.

Pinguissimum, vt Columella ait, locum & mo-
Lini. dicè humidum poscit. Aliqui, inquit Palladius macro solo spissum serunt, atque ita assequuntur, vt Linum subtile nascatur. Plinius scribit seri sabulosis, maximè vno sulco, nec magis festinare aliud, vrereque agrum, & deteriorem ipsum facere, quod & Virgilius in Georg. attestatur:

Vrit Lini campum seges, vrit Auena,
Vrunt lethæo perfusa Papauera somnō.

Seritur linum Vere: Maio & Iunio mensibus floret. Linum (inquit Cresc.) desiderat aërem temperatum, & terram solutam & pinguem, & quantò pinguior fuerit, tantò ipsius stuppa erit grossior, quantò verò macrior, tantò eius stuppa subtilior erit. Sed ex eo parum & breue in tali terra nascetur. Huius autem seminatione terram satis macrari & lædi creditur, ideoque auxilio letaminis eget, si tale semen recipere assuescit. Eius terra ante Hiemem debet arari, vt glebæ propter gelu sequentis Hyemis in puluerem reducantur: deinde post Hiemem, cùm primùm poterit, secundâ vice arabitur, deinde aspergatur &
Quantitas seminu. iterum aretur quinque vel sex vicibus, in tantùm vt in puluerem redigatur, ita tamen quod primâ vice profundiùs aretur, secundâ minùs profundè, & sic semper profundatio vsque ad vicem vltimam minuatur: deinde à medio Aprilis vsque ad finem eius satio ipsius est optima, satioque in summo terræ sit minùs vno palmo, terrâ super semen aratro reuolutâ.

Tres corbes huius seminis, vel parum plus sufficiunt iugero, cui multùm proderit si talis ager expexetur postquam fuerit seminatus, quod si tempus fuerit magnæ siccitatis, ei valdè proderit, si poterit irrigari. Potest etiam seri ante Hyemem in locis calidis, in quibus Linum natum frigore non læditur, & tunc melius prouenit in terra mediocriter cretosa, quàm nimis soluta, nec est necesse quod sit pinguis, & quod vltra duas vices aretur, dummodo terra puluerisetur, & cùm fuerit seminatum, melius est quod cum expexe solummodò de quibusdam spinis facto semen operiatur, melius etiam est quod homo vnus cum fune trahat expexem, quam boues, propter nocumentum, & hoc est cuilibet homini facilè.

Hæc verba bis mundanda est cùm maximè suffocetur, ideoque extirpandum est noxium antequam circa Linum inuoluatur, licèt per ipsum ambulando lædatur cùm magnum est, & ideò mundatur, & debet ante se manibus aperire, & ire per eum optimè eleuatis pannis. Sed cùm primâ vice mundatur, quia tunc paruum est, & conculcatum releuatur, non læditur ambulando per eum.

Colligitur autem cùm maturo colore flauescit, & eodem die ne rore tangatur, sub tecto ponatur in fascibus, deinde malleolis ligneis excutiuntur semina, & ipsum Linum ad maturandum in aqua ponitur, in qua quatuor vel quinque diebus, si putrida sit, sterilisse sufficiat, si autem aqua non sit corrupta, vsque ad septem dies stare in eadem oportet, vt putrefiat caro herbalis, & cortex ex quo fit stuppa.

Erit autem signum temperatæ maturationis, quando maceratur in aqua, cùm tactu molescit, adeò quòd omnem rigiditatem amiserit, cognoscitur etiam si ex eo aliquid extrahatur de aqua & siccatum probetur, si caro herbalis à stuppa facilè separatur. Veruntamen si minus, quam expedit, maceretur, erit stuppa fortior & albior, sed non perfectè separabitur caro herbalis, & erit durior ad filandum.

Deinde optimè lauatur & in aqua excutitur, concutitur malleolis ligneis, vt eius caro rumpatur, & deinde ad Solem calidum ponitur, & cùm fuerit calefactum in pannis caldis in domo simul ponitur, & cùm per aliquas horas sic steterit, gramolatur, hoc enim modo mundatur optimè, nec stuppa rumpitur gramando, quod fieret si statim gramarentur cùm eleuarentur de Sole. Quod si tempus fuerit humidum cum multis pannis madefactis ad ignem præparatur gramen, deinde spatulis eius mundificatio completur, deinde pectinatur, & filatur.

Lini semen, inquit Dioscorides, eandem vim habet, quam Fœnum græcum, discutiens ac molliens omnem internam & externam inflammationem, cum melle & oleo & modica aqua coctum: aut cocto melle exceptum. Tollit maculas solares crudum, & varos cum nitro & Ficubus impositum. Cum lixiuio verò parotidas iuxta aures abscessus, & duritias discutit. Herpetas, & duritias discutit. Herpetas, atque vlcera, cum vino coctum expurgat. Scabros quoque vngues remouet, cum pari Nasturtio & melle. Educit *Plin.* etiam ea quæ in thorace hærent, cum melle eclegmatis vice acceptum, & tusses mitigat. Stimulat item ad venerem, si mixtum melli & Piperi placentæ modo largiùs sumatur. Sed & decoctum ipsius infunditur ad intestinorum & vteri rosiones, & excrementa educenda. Commodum est etiam ad insessus, quemadmodum Fœnum-græcum, ad vteri inflammationes.

Velorum ex Lino in nauibus vsum in mari, velut admirans Plinius, decimi-noni libri principio ait: Atque vt à confessis ordiamur vtili-

tatibus, quæque non solùm terras omnes, verùm etiam maria repleuêre, seritur, ac dici neque inter fruges, neque inter hortensia potest Linum. Sed in qua non occurrit vitæ parte? qudove miraculũ maius, herbam esse quæ admoueat Ægyptum Italiæ? herbam esse quæ Gades Herculis columnas septimo die Ostiam afferat, & citeriorem Hispaniam quanto, Prouinciam Narbonensem tertio, Africam altero. Audax vita, scelerum plena, aliquid seri vt ventos procellasque recipiat: & parum esse fluctibus solis vehi. Denique tam paruo semine nasci, quod orbem terrarum vltrò citroque portet, tam gracili auenâ, tam non altè à terra tolli: neque id viribus suis necti, sed passum, tusumque, & in mollitiem lanæ coactum, iniuria naturæ, ac summa audacia, & quò peruenire nulla execratio sufficit, contra inuentorem dictum suo loco à nobis. Cui non satis fuit hominem in terra mori, nisi perierit & insepultus. At nos priore libro imbres & flatus cauendos, frugum causâ fructusque præmonebamus, ecce seritur hominis manu, metitur eiusdem hominis ingenio, quod ventos in mari optet. Præterea vt sciamus fauisse pœnas, nihil gignitur facilius: vt sentiamus nolente id fieri naturâ, vrit agrum, deterioremque ipsum facit. Hæc Plinius.

Vtilitates Lini. At quanta censenda est velorum ex Lino vtilitas, si ad reliquum Lini vsum per omnem vitam conferatur? Hoc loti detergemur, hoc sordidi defricamur. Ex hoc factâ veste totum corpus extrinsecus ad cutem integente omnes interdiu vestimur: noctu stragulis inde factis incubamus ac integimur. Rusticana gens vtriusque sexûs pallia, & tunicas ex ipso gestat: & mundus muliebris magna ex parte ex hoc constat. Sed omnes has necessarias vitæ vtilitates facilè superat Linum chartarum dono. Hæ ex ipso penitùs detrito & nullius amplius vsûs reiiculo fiunt, tot hodie vbique officinis, vt multa hominum millia ex præparandi chartas opera, in papyraceis, vt vocant, molendinis, se nutriant. His chartis & literarum notis, omnes bonæ artes, leges, tota Philosophia, & vitæ piè ac rectè degendæ rationes excipiuntur, habentur, conseruantur. His chartis hanc materiam medicam, & totius ferè naturæ plantas descriptas commendamus orbi. Harum vtilitatem vix animo quis concipere possit, nedum pro dignitate explicare, quantumuis longâ institutâ oratione.

Galenus. Verùm Galenus 1. de Alim. Quidam, inquit, vtuntur semine Lini tosto, velut obsonio cum Garo. Vtuntur etiam melle ammixto. Aliqui etiam panibus inspergunt. Sed stomacho incommodum est, & ægrè concoquitur, & modicum alimentum corpori præbet. Ad ventris autem egestionem neque laudari, neque vituperari meretur. Exiguum tamen quid habet de ciendi vrinam facultate, id quod magis manifestum fit, vbi tostum editur. Tunc autem sistit quodammodò magis aluum. Idem 7. simpl. Semen Lini, si editur, flatuosum est, etiamsi tostum fuerit. Ita superfluâ humiditate refertum est. Calidum est, ordine primo: verùm inter humiditatem & siccitatem medium obtinet. Pinius lib. 20. cap. 22. seminis Lini vsum medicum longiùs describit, & multa Dioscoridis declarat.

Linum calidum & humidum. Linum, apud Tragum, communi Medicorum consensu calidum & humidum esse traditur. Semen autem tusum ac in puluerem redactum adiecto modico mellis, & Piperis, ita vt eclegma ex his fiat, & per diem quantitate Nucis moschatæ sumptum, tussim mitigat & venerem stimulat. Qui internis inflammationibus infestantur, his semen Lini aqua decoctum, admixto melle, in potu exhiberi potest, & foris emplastri instar imponi, quæ medicina plurimùm prodest, & quosuis finit dolores. Ad emolliendas vuluę & interaneorum propter lentam humiditatem obstructiones, in colica etiam passione prodest, corpus oleo Lini inungere, aut semen decoctum calidum foris imponere, aut ex iure seminis decocti & oleo clysteres iniicere, prout vnicuique visum fuerit. Semen Lini, necnon oleum eius illitu & impositum ambustis conducit. Quantopere porrò flatuosum & recrementitiâ humiditate plenum semen Lini sit, paucis ab hinc annis Middelburgi in Zelandiis animaduerti potuit, cùm propter frumenti aliarumque frugum inopiam, plerique ex ciuibus pane & cibis ex hoc coctis vescerentur. Distenta enim his valdè citò hypochondria fuerunt, & facies aliæque partes tumidæ factæ, quorum non pauci sic affecti, etiam mortui sunt. Neque enim aliunde hæc symptomata, quàm ex recrementitia seminis humiditate, quæ flatulentiam parit.

Oleum quod ex semine eius exprimitur, multiplicem vsum habet, nec enim à pictoribus, aut statuariis, aliisve artificibus expetitur solùm, vel ad lucernas tantùm vtile est, sed etiam medico vsui seruit. Nam & duritias omnes mollit: neruorum tensiones contractionesque laxat, dolores illitum sopit. Sunt etiam qui bibendum exhibeant lateris aut coli dolore laborantibus, verùm recens sit oportet, rancidum enim factum & nauseam excitat, & plus, quàm par est, calefacit.

LINVM SILVESTRE, SATIVVM planè referens.

LInum siluestre, satiuum planè refert formâ, nisi quod caules habet & folliculos crassiores, & maiores, & in summo surculis multis brachiatos. Et maxima inter hæc duo Lini genera in eo consistit differentia, quod folliculi siluestris Lini calore Solis non aperiuntur, perinde vt alterius, nam quamprimùm exsiccati Sole fuerint, excutere semen vt aliarum frugum oportet, authore Trago, qui Linum 2. & siluestre vocat: C. Bauh. phyt. Linum 2. siue alterum folliculis crassioribus.

Apud Mediomatrices hoc sylueſtri Lino aduentante Æstate integri agri conseruntur, & inuenitur etiam quandoque inter segetes Auenæ. *Locus & Tempus.*

LINVM SILVESTRE ANGVSTIFOLIVM, flore quasi cinereo, capitulis magnis.

CAP. LXXV.

MIram in Lino siluestri conspici varietatem satis ex Clusii Hispanicarum, Pannonicarumque stirpium historia patet: Cùm verò Linum siluestre dicit, Linariam non intelligit, quæ aliquibus etiam hoc nomine appellatur, sed plantam floribus Lini similibus, eodemque modo fugacibus, nonnunquam etiam Lini folia habentem. *Lini silu. mirum varietas.*

Linum igitur siluestre angustifolium flore cinereo, Lino siluestri angustifolio albo cum purpureis lineis omninò simile est *cauliculorum & foliorum* *Descrip.*

foliorum gracilitate, tennitate, *foliorúmque* formâ & *radice* : in florum duntaxat colore est differentia, qui niuei non sunt, sed cærulei in candidum langueſcentes, & quasi cineracei : capitula etiam floribus succedentia longè ampliora, nec minora quàm in satiuo.

Locus. Lini siluestris quinti, anguſtifolij secundi varietas hæc in Austriacis Alpibus præsertim verò Sneberg inuenitur : Floret verò isthic sub finem Tempus. Iunij, semen extremo Iulio & Augusto maturum.

LINVM SILV. ANGVSTIFOLIVM.

Descript.

DVram lignosamque possidet *radicem*, satis crassam, ex qua germinant multi simul *caules* tenues, qui ad cubitalem altitudinẽ ascẽdunt, *foliis* stipati cõfertissimis, tenuissimis, lõgitudine ferè Lini satiui: ex calycibus lõgiusculis *flores* etxremis ramulorum breuium nascuntur, magni, albi, vel quasi cinerei, fortuitis cæruleis striis sublucentib., tam caduci vt vix attingi possint, quin delabantur, vasc. minora quàm Lini satiui, quadripartita, *semine* Leni, minore. Figura Fuchsiana non satisfacit.

Lini silu. tenuifol. Camer. hort. dicitur Linum silu. tenuifolium, flore albo, cæruleo intensè, & dilutè purpureo. Et aliud pusillum candicantibus floribus sponte vbique occurrens, circa vineta Franconiæ. Gerardo Linum silu. tenuifol. 1. & 2.

An Linum silu. an vst. Clus. An Clus. Hispan. Linum silu. 2. siue anguſtifolium?

An Tragi Linariæ species quarta?

Linar. foliis capillac. Caspar. Bauhinus phyt. Linaria 14. siue foliis capillaceis, tenuifolia H. Lugdunensis. Item, Linum 7. siue silu. anguſtifolium, flore minore primum.

Locus & Tempus. Variis circa Viennam Austriæ locis sponte nascitur, præsertim in gramineis accliuitatibus, & iuxta vias. Floret Maio & Iunio, interdum etiam tota Æstate : semen verò maturum est Iulio.

LINVM FRVTESCENS FLORE omninò candido.

CAP. LXXVI.

Descript. FRuticosum atque dodrantalibus pedalibúsque fermè ramulis semper virentibus præditum est, quos numerosa *folia* exornant, mediæ inter Thymi & Pſyllij magnitudinis, subalbida, *flores* deinde superiori paulò maiores, quinque foliis vi illi constantes, omninò niuei, sum-

mis ramulis insident, quibus succedunt capitula *semine* plena : *radix* dura & lignosa est.

Clusio descriptionis authori dicitur in Hispan. Linum 3. siue silu. fruticans : In Hist. post. Linum silu. 7. fruticosum.

Locus & Tempus. Exit desertis quibusdam Hispaniæ locis, Sole illustratis : floret Iunio & Iulio, atque subinde semen profert. In Belgio satum, tertio duntaxat à satu anno seriùs floruit, nec semen tulit.

LINVM SILV. ANGVSTIFOL. ALBVM, lineis in vmbilico purpureis.

CAP. LXXVII.

Descript.

DOdrantales, nonnunquam etiã pedales habet *cauliculos*, graciles, firmos, rectos : *folia* satiui Lini, anguſtiora, dura, mucronata, virentia, amaricantia : *flores* in summis cauliculis multos, magnos, quinque foliis albis præditos, circa vmbilicũ quinque purpureis lineis distinctos, totidem staminibus, & quinque separatis apicibus ex medio vmbilico prodeuntibus, odoratos : *semen* in rotundis vasculis planum, nigricans, splendens, satiuo Lino simile : *radicem* candicantem, duram, aliquot fibris donatam, perennem, & singulis annis nouos cauliculos proferentem, authore Clusio, qui in Synon. Pannon. p. 303. & 304. Linum silu. 4. siue anguſtifolium flore albo cognominat : In Hist. post. Linum silu. 5. anguſtifolium secundum : flore ex diluta purpura candicante, & quasi carneo.

Linum silu. florens obseruaui Monspessuli mense Aprili & Septembri : Basileæ prope Krenzach Octobri : prope Leurach in monte Augusto : Linum silu. 6, anguſtifolium Clus. in Hist. post. primùm obseruatum in anteriore Madritianæ siluæ parte, quæ secundo ab vrbe Lutetia lapide distat, inter gramina, loco aperto, & nullis arboribus obsito, florens Iulio, maturum semen proferens Augusto : deinde agro Viennensi aridioribus gramineis locis.

LINVM SILVESTRE LATIfolium hirsutum flore cæruleo.

CAP. LXXVIII.

Descript. RAmus nobis datus Argentinæ anno millesimo-quinquagesimo-nonagesimo quinto, ex plantis Agerij, cubitalis, satis crassus, firmus, hirsutus, in quo *folia*, semunciam circiter lata, paulò longiora, acuminata, pilosa;

venoſa: *flores* extremis ramulorum, in quos ſuperiore parte caulis diuiditur, hærent ſimul multi, Alceæ floribus pares, coloris cærulei, aut ex cæruleo palleſcentis, quorum imum obuoluit foliaceus calix hirſutus: ſupremæ partes Heliotropii modo flectuntur. Anno 1600. nobis dati alii rami ſingulares, cubitum excedentes, ſub inſcriptione Lini ſilueſtris latifolii floribus rubentibus, foliis & caule viſcoſis ex Sumano monte prope Baſſanum oppidum & circa Bononiam. Huic Lino *caules* & *folia* hirſutiora, vnciâ longiora, acutiora, *flores* magni quidem, ſed minores, purpuraſcentes, ſaturatioribus lineis inſculpti: in foliis ſapor nullus manifeſtus.

Synon. Cluſio Pannon. pag.298. Linum ſilu. latifolium flore cæruleo: item pag.299. ad figuram Linum ſilu.1. In Hiſt.poſt.Linum ſilu.1. latifolium: Lobel.Obſ. pag.226.Linum latifolium, foliis hirſutis, Tithymali Heliotropij paribus: Num autem hæc eadem ſit planta cum Latifolio Cluſii ſilueſtri Lino Aſcyri folio, affirmare dubitat. Icon. Plant. pag.414. Linum ſilu. latifolium. C. Bauh.phyt.Linum 4. ſiue ſilv. latifol. flore cæruleo magno.

Locus. Frequens eſt multis Pannoniæ ſuperioris & Auſtriæ inferioris locis editioribus&ſiccioribus, gramineis tamen. Floret Iunio & Iulio: ſemen maturum Auguſto. Rantzius, qui Lini latifolii alpini purpurei titulo portionem nobis communicauit, in Baldo prouenire retulit.

Linum ſilu.latifolium lanuginoſum, flore candido, purpureis lineis ſtriato.

Deſcriptio PEdales, graciles, lanuginoſos, ternos, aut quaternos ab vna radice promit *caules*, in quibus Lini latiuſcula *folia* trineruia, ad Aſcyri formam ferè accedentia, nec multùm à prioris foliis diſcrepantia, lanuginoſa: extremi cauliculis in binos, aut ternos ramulos diuiſi, & Heliotropii maioris quodammodò inſtar circumflexi, pleni ſunt *floribus*, qui ab imo aperiri incipiunt, Lini florum diuiſurâ, ſed maioribus, ſuperiori æqualibus, candidis, quos multæ purpureæ venæ interſcindunt: *ſemen* & capitula Lini ſimilia *radix* perennis eſt, craſſiuſcula, longa, candicans raris fibris ſepta.

Synon. Cluſio, deſcriptionis auctori, eſt in Hiſp.Linum ſilv.1. ſiue latifolium: In Pannon. pag.295. Linum ſilu.1. Hiſpanicum. Hiſt. poſt. Linum ſilv.latifol. ſecundum, ſine icone.

Locus & Tempus. Apud Colibriam Luſitaniæ vrbem hanc ſtirpem duntaxat obſeruare meminit Cluſius, ad deſertum quoddam & ſolitarium templum menſe Nouembri repullulantem, è cuius cauliculis ſemen collectum in Belgicam attulit, quo terræ commiſſo, vnica planta nata eſt, cubitalem excedens altitudinem, & latioribus natali ſolo foliis, quæ ſingulis annis ſub Æſtatis finem quidem floruit, ſed nullum ſemen præbuit.

LINVM LATIFOLIVM luteum.

CAP. LXXIX.

Deſcript. LInum latifolium luteum *caulibus* adoleſcit angulosis, firmis, cubitum altis, pluribus ex vna radice ortis, & ſuperiùs in ramos breues diuiſis, quos *folia* veſtiunt alternata, glabra, vnciâ longiora, ſemunciam lata, in obtuſum mucronem deſinentia, ſapore amaro prædita: *flores* numeroſi extremis ramulis innaſcuntur, magni, è quinque foliis compoſiti, lutei coloris, quinque ſtaminibus, totidemque villis luteis, medium obſidentibus: *ſemen*, teſte Cluſio, in capitulis compreſſioribus, reliquis paullò minus, nigricans quidem, ſed non ſplendens, quemadmodũ illorum: *radix* ſatis craſſa, contorta, albicans, aliquot fibris donata, ſingulis annis repullulans, nouoſq; caules producens.

Cluſ.in Pãnon. pag.300. vocat Linum ſilv.latifolium flore luteo: pag.301. Linum ſilv.2. In Hiſtor. poſt. Linum ſilv.3. latifolium. Synon.

Tabern. Icon. & Hiſt. (vbi primum) Linum ſilv. Pannonicum: Caſ. Bauh. phyt. Linum 5. ſiue ſilv. latifolium flore luteo magno.

Gerardus ineptè pro Lino ſatiuo poſuit iconem Lini ſilu. Pannonici Tabern. Gerardi ipſius.

Exit abundè in monte Badẽſibus Auſtriæ thermis imminenti, locis gramineis ſecundum ſepes, & pleriſque aliis in montium illa ſerie ad Danubium vſque excurrente, locis: ad ſiluulam item Lachn. pago vicinam: Floret Iunio & Iulio: ſemen maturat Auguſto. Locus.

LINVM LVTEVM NARBONENSE.

CAP. LXXX.

AB vna *radice* caules ſurgunt plures, cubitales, qui ſuperiùs in ramos diuiduntur, per quos *folia* mollicella, latiuſcula, breuiora quàm Lini ſatiui, inſipida: *flores* extremis hærent ramulis, Lini, ſed coloris lutei, amaricantes, quibus ſuccedunt capitula minora quàm Lini ſatiui, ſatis amara, *ſemen* continentia. Deſcript.

Monſpelij

Monſpelij iam deſcriptum Linum à nobis obſeruatum, florens Septembri. Verùm ibidem in maritimis Autumno aliud longè maius obſeruauimus, ad duos cubitos excreſcens & vltra, ramis craſſioribus, firmioribus: foliis longioribus & latioribus, ſalſi ſaporis: floribus luteis, facilè decidentibus: capitulis amaris, ſine ſalſugine.

Simile nobis prouenit Montbelgardi in horto Ill.E.C. excedens duos cubitos. Qui ſtirpium diligentes indagatores haberi volunt, Monſpelij obſeruent, an ſit differentia aliqua, vel varietas tantùm ratione loci.

Lin. glu. Matth. & Dodon. Matthiolo in poſt.comm.vti exiſtimo, eſt Linum ſilueſtre. Sed & Dod. lat.in fol. Linum appellat ſilueſtre, quòd non ſatum, ſed ſpontè exeat, & Marinum Linum, quòd maritimis gaudeat, in ſtamina diduci & iſtud poſſe credidit.

Linum marinum. Lobelio in Adu. dicitur Linum marinũ luteum, quibus in Obſ.pag.225. & Icon.Plant.pag.312. vox Narbonenſe additur. Caſp.Bauh.phyt.Linum 3. ſiue maritimum luteum. Camer. hort. Linum ſilu. Matthioli latifolium flore luteo, in agro Bononienſi vbique proueniens. Haud procul à mari (inquit Dod.) in pratis ac herboſis locis, in nonnullis regionibus gignitur, veluti in Narbonenſi Gallia.

LINVM PVMILVM FOLIIS SEMPER binis, albo flore, vel luteo pallente.

Cap. LXXXI.

Deſcriptio

EXili, rotũdo, dodrantalique, aut paulò maiore aſſurgit *cauliculo*, quem aduerſo ſitu, vt in Hyperico, bina ſemper amplectũtur *foliola*, Lini ſatiui foliis ferè paria: ſupremus cauliculus in aliquot ramulos diuiditur, qui in oblõgis pediculis exiguos *floſculos*, quinque foliolis albis conſtantes, proferunt, luteis intus ſtaminulis: floſculis ſuccedunt parua capitula, Lini vaſculis non abſimilia, minora tamen, in quibus *ſemen*: *radix* tenuis, aliquot exilibus fibris donatur, ſed an perennis & rediuiua ignoratur à deſcriptore Cluſ.qui in Pann. p.305. & 306. Linum ſilu. 5. ſiue Chamælinum Pannon. vocauit, & in Hiſt.poſt. Linum ſilu.8. Chamælinum, & ſilu.8.anguſtifolium, Lobel.in Icon.Plãt. pagina 413. nomine Chamælini eandem cum Cluſio habet iconem, quæ occaſio, vt non ſeparemus, quamuis in Obſeru.pag.227.ei alium colorem adſcribat.

C.Bauh.phyt.Linum 9.ſiue ſilu.minimum flore & candido & luteo vidit.

Locus & Tempus. Prouenit in herboſis collibus & montanis Auſtriæ atque Pannoniæ: floret verò Iunio & Iulio. Similem aliquando ad Cluſium Machliniam, è Tornacenſi vrbe Ioannes Moutonus miſit.

ALSINE VERNA GLABRA, FLOSCVLIS albis, vel potiùs Linum minimum.

Cap. LXXXII.

EX *radicula* tenui, ſed rigidula, exiguis, ſed multis filis capillata, *coliculos* emittit nonnihil reptantes, mox humo ad palmũ, aut altiùs ſeſe attollentes, faſtigio ſurſum ramoſo, nutante, teretes, tenues, geniculatos, propter terram rubeſcentes: *foliola* infima Alſines minoris, ferè rotundata ſuperiora, quæ in caulibus bina oppoſita ad articulos naſcuntur, paulò longiora, ſapore ſubamaro & ſubacri: *floſculi* candidi, è quinque foliolis compoſiti, apicibus intus luteis: vaſcula ſuccedunt Lini, parua, canaliculata, in quibus *ſemen* lucidum & lubricum, Lini, compreſſum & oblongum.

Deſcript. *Radix.* *Coliculi.* *Folia.* *Floſculi.*

An Linocarpus Thalio? Camer. Linum ſilu. exiguum in hortorum areolis ſæpè prorumpens. H.Lugd. pag.1234. Alſine verna: C.Bauh. phyt. Alſine 20. ſiue pratenſis glabra. & *Bel-vedere* quorundam.

Locus & Tempus. Alſine verna Dalechampii circa Geneuam in ſegetibus floret menſe Martio: Montbelgardi in prato ſicco vbi olim fuerunt horti feratum, ante pontem & paſſim Maio, Iunio, Iulio & Auguſto.

PASSERINA LOBELII.

Cap. LXXXIII.

FOliis eſt per caulem dodrantalem confertis, Lini ſimilibus, viridantibus, acuminatis, vncialibus, circa ſuperiora rarioribus: *floribus* in ſummis ramulis breuibus, aceruatim congeſtis, luteis, quos excipiũt vaſcula exigua, turbinata, Lini, dimidiò, aut triplò minora, foliolis quibuſ-

Deſcript.

dam acutis vndique obuoluta, *semine* plena lubrico, lucido, fusco, multò Lini seminibus minore : radix satis longa, tortuosa, alba, lignosa.

Synon. Lobel. in Icon. Plant. pag. 411. vocat Passerinam Linariæ folio, & sic etiam in Obseru. pagina 224. vbi & Chrysocomen alteram Mutoni.

G. Bauh. phyt. Lithospermum 7. & Passerinam alteram Monspeliacam, non semper vno caule exsurgentem.

Locus. Basileæ anno 1594. vidi plantam siccam apud C. Bauhinum, quæ ei missa fuerat per D. Paschalem. Gener Io. Henr. Cherlerus attulit Monspelio. Meminit Dom. Schvvartz Passerinæ cuiusdam arboreſcentis Candiæ cuius semen ei missum per Casabonam. Nos nondum vidimus.

PASSERINA TRAGI.

Cap. LXXXIV.

Descript.

LInguæ passerinæ nomen fecerunt *foliola* acuminata auiculæ iam dictæ linguam imitantia, alternatim, rariùs aduersa, *cauli* dodrantali & altiori recto, tereti, sæpè simplici, interdum ramoso, sine pediculis adnata, sapore viscido prædita, ex quorum alis *flosculi* plures pusilli oriuntur, calathisci formâ, ex herbaceo flauescentes, oris in quatuor lacinias diuisis : *semina* parua, turbinata, nigra, Lithospermi seminibus multò minora.

Passerina Tragi. Tragus Passerinæ nomine depingit & describit, ac tertium Lithospermi, vel Milij Solis genus facit, indeque germanicè *vuilden Meerhirs* vocat, & Dyospyron Theophrasti esse somniat.

Lobel. in Adv. Passerinam Herbatiorum appellauit: Camer. hort. Passerinam Tragi: H. Lugd. pag. 1152. Passerinam, Linariæ folio Lobelij. Tabern. Icon. & Hist. linguam passerinam *Spatzen zung* : Dodon. gall. Lithospermum minimum Tragi, *Gremil sauuage fort petit :* Casp. Bauh. Lithospermum 6. siue minimum Passerina dictum.

Locus & Tempus. Prouenit Montbelgardi in agris, Augusto semine maturo : item inter Taillecourt & Audincourt, versusque Matthai castellum. Inter segetes Basilienses obseruauit Casp. Bauhinus : In agris Franconiæ inter Herbipolim & Francofurtum copiosè Camerarius : Inter oppidum *Altzeim*, & montem tonitrui post messem in agris frumentariis Tragus.

LINARIA LVTEA VVLGARIS.

Cap. LXXXV.

Descript. PRiusquam *flores* producat Linaria, adeò Tithymalum cyparissiam mentitur, vt nisi lac deesset Tithymali, difficile futurum esset iudicium : tanta est foliorum similitudo: at *flores* in thyrsum digesti, vt vel primo intuitu ab errore prohibeant, qui huic posticâ parte corniculum Consolidæ regiæ proferentes, anticâ parte Anthirrini rictum imitantur, colore luteo prædíti, apiculis concoloribus: reperitur interdum flore albo: *semen* in capitulis rotundis latum : *radix* lignosa, dura, alba: varias hinc inde fibras emittit, ac suo reptatu in hortis odiosa sapor plantæ amaricat.

Linariæ herbæ plura sunt genera, quæ singula seorsim recensenda. Vulgatissimam autem hanc Linariam à vulgari exigua Esula, cui plurimùm propinqua, vel sequens discrnit versiculus :

Esula lacteſcit, sine lacte Linaria creſcit.

Exiſtimatur à multis esse Osyris : sed Osyris ab hac differens est stirps, ex qua videlicet κορύμματα, *Osyridis* h. e. scopas hac ætate, in Italia componunt : vt & olim Galeni seculo : quam vulgò Itali *Beluedere* nuncupant.

Tragus Osyridis & Linariæ titulo eam donauit, & primo loco pro vulgari Linaria descripsit. Videtur autem ei hæc planta rectiùs Cynocephalia dici posse, quæ in Ægypto (vt prodidit Apion Grammaticus) Osyrites cognominatur, & aduersus veneficia à Magis vsurpatur. *Osyris quibus dicatur.*

Sed & Lobelius, qui in Ic. Plant. pag. 406. Osyridem, Linariam & Vrinariam (vt & in Obs. pag. 222. vbi etiam Chrysocomē Gesneri Dalech. vocat) inscribit, in Adu. Plinii Antirrhinum facit. Dodonæo etiam gall. & lat. Antirrhini species videtur, licèt in Hist. gall. eam Osyridis: & in lat. Linariæ primæ titulo pingat. Fuchsii quoque constans est opinio Linariam esse Osyridem Hunc tandem Adrian. Spieg. Isag. lib. 1. cap. 23. sequitur : itemque Eur. Cordus, cui Herba vrinalis est hæc ipsa Linaria, contra vulgares Herbarios, qui has quasi duas distinguunt.

Clusio dicitur Linaria vulgò nota, & omnibus ferè prouinciis familiaris : Camerario hort. Linaria vulgaris. Hist. Lugd. pagina 1151. Linaria vulgaris flore subluteo : Casp. Bauhino phyt. Linar. 1. siue vulgaris lutea flore maiore : varians floris colore, luteo-pallido, magis luteo, aliquando albo. Synon.

Ponit

Compil. notatur. Ponit Compilator Tabern. tam in Icon. quàm Hist. figuras duas, Osyridis maioris vnam, alteram minoris, nullo apposito discrimine, quàm magnitudinis.

Gerard. laßat. Gerard. ambas assumpsit, sed præter rationem exhibet pro Linaria Valentiæ, eam quam Tabern. pro Osyride minore ostendit.

Dorsth. vtreh. Dorst. Osyrim, Linariam, quam Esulam adulterinam vocat, & Herbam vrinalem confundit, & commiscet. Non probamus autem eum p. 149. ponere duas icones pro Herba vrinali & Osyride: & postea p. 173. easdem locare pro Linaria & Osyride, vbi etiam non bene germanicè, *vvild vvolffs milch*, hoc est, Esulam silu. & *Scheiß kraut*, hoc est, Cacariam vocat, siquidem non purgat.

Nomina linguar. Linariam Germani appellant *lynkraut*, *flachskraut*, *vvald:* & *vvild flachs*, h.e. Linum silvestre, vel etiam Pseudo-Linum: *harnkraut*, i. e. Vrinalem, quæ vox magis propriè aliis plantis debetur. *Vnser frawen flachs*, vel *harr*, i.e. vt Pannoniæ mulierculas rhizotomas interpretemur, Diuæ Virginis Linum, vel capillū. *Nabelkraut* Herbam vmbilici, aut vmbilicalem. Multi *Gal Ritter sporen*, h.e. Consolidā regalem luteam *krotten flachs*, h.e. Linum bufonum. Belgæ *vvilt vvlas*. Galli *Linaire* & *Lin sauuage*. Angli *tode flar*. Boh. *len mirtky bozij*. Hung. *Vad len* & *Vad frauv*, Itali & Hispani Linaria.

Linariam autem dixerunt recentiores à foliis quæ Lini faciem referre videntur.

Locus & Tempus. Nascitur passim in Germania ac Belgio secus agrorum margines, & aliis locis. Floret Iulio ac Augusto, ac etiam seriùs, vt Septembri & Octobri.

Vires & vsus. Vulgaris Linaria, alui turbatrix est, inquit Tragus, temperamenti humidi & calidi. Extrinsecus maiorem habet vsum, in iis quæ refrigerationem potiùs, quàm calefactionem requirunt. Aqua enim in linteolis imposita id præstat. Aquæ quantùm vitrum exiguū capit, admixta drachma corticis ebuli in puluerem redacti, sumpta potio, vrinam potenter cit, quare hydropicis tantùm id medicamenti exhibendum erit. Eadem aqua distillata ac pota, aluum laxat, morbum discutit regium, aduersus quem herba ipsa vino decocta ac pota inprimis facit, sicut & iecur obstructionibus liberat. Aqua distillata aut succus oculis inditus, inflammationes eorum & ruborem tollit. Linaria, aqua eius, & succus, quæuis vlcera mundant, cuiusmodi sunt cancer, & fistulæ, linteolis imposita, & si cum aqua loci affecti colluantur. Succus idem maculas & vitia faciei emendat, quare superbis mulierculis, quæ puram & immaculatam faciem affectant, conuenit. Fuchsius vehementer errare eos scribit, qui Linariam frigidā & humidam esse asserunt. Et certè vel hoc vno argumento erroneam illorum sententiam confutare omnium maximè licebit. Cùm etenim Linariæ vrinam mouendi facultatem ineſſe scribant vulgares etiam herbarij, colligitur illam non esse frigidam & humidam: quādo Galeno lib. 5. simpl. c. 12. attestante, omnia quæ vrinam ducunt ex actrium atque adeò calidorū & siccorum sint genere. Est igitur Linaria calida quidem & aliquantulùm sicca temperie, & aperiendi potentiâ prædita, teste Dodonæo. Quod verò multi regio morbo laborantibus eam prodesse dicant, id ab Osyride huc translatum esse perhibet.

***

Linaria vulg. lutea, flore minori.

Alterum hoc Linariæ genus, iam descripto per omnia simile est, nisi quod flores habet multò minores, subluteos, autore Trago. Et hinc C. Bauh. in phyt. nominauit eam Linearium 2. siue vulgarem luteam flore minore. Descript. & Synon.

Hæc in agro VVormatiensi è regione oppidi *Altzen* inuenitur.

LINARIA LVTEA PARVA SERPENS.

Cap. LXXXVI.

PAlmaribus exit virgulis, frequentibus, humi sparsis, quas vestiunt folia vulgaris foliis similia: extremos ramulos occupant multi flores flaui, vulgari minores, veluti in spicam congesti, quibus succedunt capitula minora quàm in vulgari, exiguo semine nigro plena: radix tenuis est & candida, vulgaris modo serpens. Descript. *Virgula. Folia. Flores.* *Radix.*

Clusis, cuius descriptionem assumpsimus, in Hisp. nuncupat Linariam pumilam: In Hist. post. Linariam Hispanicam quintam. Hanc, quia valde amara est, & plerumque cum Chamæpiti nascens reperitur, adeóque pumila est, Salmanticenses Chamæpityos genus esse censebant. Lobel. p. 223. vocat Linariam pumilam Clusij minorem, sed non absimilem: In Icon. Plant. p. 410. Osyridem flauam silvestrem: C. Bauh. phyt. Linariam 3. siue luteam pumilam supinam. Synon.

Salmanticensi agro, aridis locis hoc genus pumilum inuentum ab authore, vbi tota ferè Æstate florebat. Locus & Tempus

LINARIA LVTEA PARVA ANNVA.

Cap. LXXXVII.

MAgnitudine varia mihi creuit, aliàs sesquipalmari, aliàs plusquam dodrantali, ex radicibus paruis, albicantibus, pluribus: sunt autem caules, qui tenues & numerosi existunt, & folia quæ teneriora, angustiora, crassioráque quàm in vulgari Linaria, colore glauco, terna, vel quaterna, aut quina, ex certis interuallis, aliàs verò incondita, subamaro sapore: *flosculi* in ramulorum fastigiis, Linariæ forma, crocei, sed quadruplò minores, odore nullo, quos excipiunt globuli oblongi *semen* continentes paruum, orbiculatum, compressum: *radix* tenuis est & annua. Descriptio *Radix. Caules. Folia.*

Clusius vocat Linariam Pannoniæ & vicinarum regionum secundam, & Moraucam primam. *Linaria Morauica*

Montbęlgardi in horto Ill. E. C. prouenit ex se- Locus & tempus.

mine Heidelbergæ in horto Sprengeri, vbi deciduo quotannis se propagat, collecto. Lutetiæ extra portam Honorii in aruorum marginibus & colliculis collegit Gener Cherlerus Iulio: Clusius verò in variis Moraviæ collium accliuitatibus: Floret quasi tota Æstate, etiam in Autumnum vsque.

LINARIA PANNONICA FLORE LVTEO minore quàm in vulgari.

Cap. LXXXVIII.

Descript.

EX plãtis ab Agerio missis ex Pannonia mihi delata pulchra hęc species *floribus* aureis, minorib. quàm in vulgari: *foliis* quinque ab illa differentibus, latioribus & breuioribus.

Synon. Clusio, qui describit, est in Pannon. & Hist. post. Linaria Pãnonica 1. (sic etiam Tabern. in Icon. & Hist. inscribit) siue maior. Gerardus ineptè Tabern. iconem Linariæ Pannonicæ 1. quæ lutea est, pro Linaria purpurea altera pingit. C. Bauh. phyt. vocat Linariam 7. siue pallidam minore flore.

Locus. Crescit in montium decliuibus secundum publicas vias, & gramine nudis locis, supra Posoniũ ad Danubium, Gumpostkirchen, Leytenberg, atque etiam in Moravia. Floret Iunio & Iulio, ac interdum etiam Augusto, & subinde semen profert.

LINARIA MAXIMA FOLIIS LAVRI Dalmatica.

Cap. LXXXIX.

Descript.

Folia maxima hęc profert, & ad foliorum formam accedentia, vncias duas, aut etiam tres longa, vnciã quædam ferè lata, in summitate cauliũ semper breuiora & angustiora, omnia autem in acutum desinentia: *caules* nullos, cubitales ac bicubitales, ramosos: *flores* luteos: magnitudine Anthirrini maioris.

C. Bauh. phyt. Linaria 19. siue Americana. An Camer. hort. Linaria altera flore maiore & magis luteo?

Montbelgardi in horto Ill. E.C. & meo ex se- Locus.
mine mihi prouenit.

LINARIA TRIFOLIA.

Cap. XC.

Descript. NIhil minùs quàm Linariæ *folia* habet, quæ per ramos pedales & longiores, crassiusculos, succulentos teretes, inferiore parte rubescentes superiùs viridãtes, ex certis interuallis pulchrè disposita, ex eodem loco terna *caulem* amplexantia, potissimùm parte inferiore, circa fastigium enim sparsim nullo ordine digeruntur: accedunt ea verò nonnihil ad Fabæ inuersæ folia, quibus minùs crassa, succuléta, minimè tamen per ambitum incisa, circa exortum latiuscula, in obtusum desinentia, pari ferè latitudine cum longitudine, sinuatis neruis, ad modum ferè Plantaginis, posticâ parte minimè apparentibus, donata, acetabuli instar concaua, cæleste mque aquam exceptam continentia, sapore amaricante: Verùm *flores* serie longâ dispositi, Linariæ vulgaris similes sunt, lutei, tinctiori tamen labello & rictu lanuginoso, corniculo purpurascente extra folia viridantia, quæ floris basin ambiunt, porrecto: *floribus* succedunt capitula rotunda, in quibus semen, quod nobis videre non contigit: *radix* subest singularis, crassiuscula, caules plures emittens.

Clus. in Hisp. inscripsit Linariam Valentinam: In Hist. post. Linariam Hispanicam 1. Lobel. in Obs. p. 213. & Icon. Plant. p. 408. Linariam Valentinam Clusii.

Casp. Bauhini in phyt. Linariam 4. siue luteam folio Centaurii, & Linariam 5. siue luteam latifoliam peregrinam, Linariæ latifoliæ Valentinæ Clusii nomine à Doldio missam: *duas non* facio distinctas, sed vnam, culturâ tamen variantem. C. Bauh. noſt.

Circa Valentiam Hispaniæ in pratis & locis vmbrosis Martio florentem obseruauit Clusius. Montbelgardi verò in horto Ill. E.C. VV. prouenit, florens Iulio & Augusto, semen verò maturans Septembri. Locus.

Linariæ nomen huic idem indidit, non à foliorum similitudine, quę non conueniunt, sed quia eius flores vulgari formâ similes, & eiusdem fermè temperamenti sunt, nam commanducata manifestam acrimoniam, cum quadam amaritudine coniunctam exerit ipsa planta. Tèperamearum.

LINARIA

LINARIA ODORATA Monſpeſſulana.

CAP. XCI.

Descript. RECtis & rigidis ſtat *caulibus*, bicubitalibus, iuxta terram rubeſcentibus, quos Linariæ vulgaris *folia* anguſtiora, denſo ſtipatu ornant, ſapore amaricante: ſummum caulis faſtigium in ſurculos aliquot abit, qui *flores* ſuſtinent eodem quo in Linaria vulgata diſpoſitos ordine, calcari longè breuiori, & parum apparente, quâ in re differunt à planta Linariæ aliquatenus ſimili, ſicuti & in eo quod flores ſunt maiores, odore gratiſſimo, ſuperiore folio pallido, purpuraſcentibus ſtriis variegato, inferiore in tres lacinias albidas diuiſo, rictu lanuginoſo, amethyſtino croceóque colore picto: *ſemina* parua in vaſculis ſubrotundis, herbæ Linariæ iam dictæ ſimilibus, ſed maioribus, ſapore, vt mihi videtur, adſtringente: *radix* viuax in latus ſerpit, colore candida. *Flores* in figura hîc exhibita minùs bene expreſſi ſunt.

Caryophyllata. Camer. in horto vocat Linariam flore albicante, & ob odorem, quem ſpirat, Caryophyllatam, aítque radicibus admodum ſe propagare, & diu durare in hortis.

Lin. odorata H. Lugd. H.Lugd. pagina 1151. Linariam odoratam vocat flore ex cæruleo albicante, ſuauiſſimè olentem.

Cluſ. notatur. Cluſ. in Hiſp. & Hiſtor. poſt. Linariæ odoratæ nomine pingit, & deſcribit tantùm flores: cætera ſunt alterius plantæ, nempe Linariæ folio Bellidis: miror eum in Hiſt. poſt. non emendaſſe errorem illum, & veram Linariæ odoratæ figuram poſuiſſe.

Locus & Tempus. Ex ſemine à Zvingero miſſo Linariæ albæ nomine prouenit Montbelgardi in horto Ill. E. C. inſigniter repens: repoſita Hiemem perfert, florétque Iulio, Auguſto, & Septembri: minùs verò odorata eſt, quàm Monſpelij prouenions.

LINARIA ALBA, VEL ALBICANS INODORA.

CAP. XCII.

Descript. OSyridis albæ, vt Lobel. in Icon. Plant. p. 408. inſcribit, deſcriptionem nullam adſcribimus: quia eam nondum apud quemquam reperimus, nec ipſi etiam plantam, quantùm recordamur, obſeruauimus. C. Bauh. phyt. vocat Linariam 6. ſiue albo flore. An Camerar. hort. Linaria flore albicante, inodoro, ſed eleganti, & penè æqualis magnitudinis, &c. vide antè.

LINARIÆ ALIQVATENVS SIMILIS, folio Bellidis.

CAP. XCIII.

Descript. EX vaſculotũ & ſuperiorũ foliorũ argumento in Linariarũ claſſem refero: *radix* ſubeſt craſſiuſcula, lignoſa, alba, contorta, ſimplex, interdum multifida: ex qua germinant multa per terram ſparſa *folia*, ferè Bellidis maioris aut Agerati, profũdè in ambitu ſerrata, glabra, amara, reliqua per ramos tenuia, anguſtiſſima, longiuſcula: *caules* ex radice ſtatim plures oriuntur, cubitales, teretes, multùm ramoſi: quos ferè totos vnà cum ramis ornant longâ ſerie *floſculi* ex foliorum ſinu prodeuntes, exigui admodum & quodammodò hiantes, partim cærulei, partim albi, nullo calcari donati: vaſcula delapſis floribus ſuccedunt, multa, parua, ſubrotunda, & veluti bipartita, quibus *ſemen* clauditur copioſum, minimum, ſubruffum, amarum.

Compil. notatur. Compilator Tabern. non contentus aſſumere figuram Oſyridis odoratæ purpureæ, *vvolriechend purpur harnkraut*, compoſitam ex duabus plantis, confundit cum tertia. Gerardus quoque imitatus Tabern. habet figuram falſam ex duabus compoſitam, confundens cum duabus plantis etiam tertiam.

Cluſ. reprehend. Deſcriptio Cluſij Linariæ odoratæ conueniret plantæ à nobis deſcriptæ, ſi non diceret florem habere hamulum incuruum: ſed & flores in calcaribus non conueniunt, nec etiam titulus odoris. Quare exiſtimo vnâ deſcriptione & vno titulo duas plantas eſſe ab ipſo traditas. Miror autem, eum in Hiſt. poſt. meliorem iconem non exhibuiſſe.

H. Lugd. duas figuras, vtraq; imperfecta. Vnius noſtræ plantæ H. Lugd. duas habet figuras, quarum vna extat pag. 1151. Linariæ cæruleæ Dalechampij titulo, cui folia adſcribit proximè radicem Burſæ paſtoris, caulem verò veſtitum foliis Linariæ ſimilibus, anguſtioribus, florem ex cæruleo albicantem. Alteram ibidem inſcripſit Linariam odoratam Dodonæi, cui folia Bellidis. Hæc autem figura ex duabus diuerſis compoſita eſt: folia enim inferiora Bellidis forma rectè pinguntur, ſuperiora verò non item, quæ oblonga eſſe debent, anguſta, Lino ſimilia, vt in deſcriptione noſtra habetur: flores etiam in viua planta corniculis deſtituuntur: quare ex planta viua Monſpelij collecta nouam figuram damus. Et hic error à Cluſio priùs commiſſus à me obſeruatus, quod indicare debebat Frater in Animadu. ſuis in H. Lugdunenſem: Is eius in phyt. non meminit: nec etiam oſtendit Linariam cæruleã Dalechampij eſſe ſummitatem Linariæ odoratæ Dodonæi: & viciſſim, Linariam odoratam Dodonei eſſe in-

feriorem partem Linariæ cæruleæ Dalechampii, sed malè duas diuersas plantas constituit. Linariam odoratam Clusii, siue Dodonæi vocat Linariam 8. siue purpuream Bellidis folio : Linariam cæruleam Dalechampii, Linariam 13. siue cæruleam angustifoliam. Frater igitur qui secutus est meam opinionem, non animaduertit in H. Lugd. vnius plantæ duas dari icones.

Lobel. reprehen. Lobel. in Icon. Plant. p. 407. inscribit Linariam purpuream odoratam. Miror autem eum hanc figuram incommodam assumpsisse : præterea purpuream odoratam cognominare, ac in Obs. p. 222. ad Aduersaria referre, cùm ibi non fiat vlla mentio Linariæ odoratæ: & Clusius loco proximè citato addat, in calidis regionibus aliquantulùm duntaxat esse odoratam, in Germania verò & Belgicis hortis inodoram, & Linariæ purpureæ florem nonnihil æmulari : Sesamoides maius Salmanticenses nuncupare, quamuis descriptioni non conueniat.

Locus & Tempus. Monspessuli florentem & semina matura ferentem reperi mense Octobri in montibus circa Esperor. & Gangen. Eadem mense Iulio mihi occurrit in agris inter Valentiam & Lugdunum. Gigni in aridis, squallentibus & apricis : florere Maio desinente in H. Lugd. perhibetur.

Refertur apud eandem H. Lugd. vlcera sordida purgare, lumbricos interficere, obstructiones expedire.

LINARIA PVRPVREA MAGNA.

Cap. XCIV.

Descript.

SEsquicubitalem è lõga, nigra, contorta, lignosa *radice caulem* emittit, eumque teretem, glabrũ, firmũ in ramos prælongos diuisũ, *foliis* ornatum longioribus, latioribusque quàm Linaria lutea, sapore nullo euidente: *flores* longâ serie per ramos nascuntur, antrorsum hiantes, posticâ parte calcar promittentes, colore purpureo præditi, minores multò quàm Linariæ luteæ : *semen* in vasculis paruis bifidis continetur.

Linaria altera Dod. Dodon. in Hist. lat. Linariæ alterius nomine describit, dicens in lib. de Florib. flores habere in cæruleo purpureos : in fol. verò lat. purpureos: viderique sibi speciem Antirrhini : sed nullibi depingit. Lobel. in Adv. Linaria purpurea, vt fruticosior sic elegantior multò & rarior. Eidem in Obs. p. 223. & Icon. Plant. p. 407. Linariæ purpureæ varietas.

C. Bauh. phyt. vocat Linariam 9. siue purpuream maiorem, Osyridem alteram Dodonæi, & Linarię purpureæ varietatem Lobelii, variantem flosculis purpureis, purpuro-violaceis, albis & cæruleis : foliis item latioribus & angustioribus: Item, Linariam 13. siue cæruleam angustifoliam, & cæruleam Dalechampii. An verò Dalechampii separanda sit à Lobeliana considerandum. An Camer. hort. est Linaria flore cæruleo?

Geneuæ florebat in horto meo Iunio, Montbelgardi Iulio : Stutgardiæ in horto Ill. C. Linaria violacea magna Iunio. *Tempus.*

LINARIA PVRPVREA PARVA.

Cap. XCV.

Descript. SVbest *radix* tortuosa cũ fibris longiusculis: *caules* cõplures, palmares & maiores, in terram reclinati, ramosi, *foliis* amicti veluti ex geniculis, modò singularibus, modò ternis aut quaternis, vix quadrantem vnciæ æquantibus angustis : extremis ramis *flores* multi congesti hęrent Linarię vulgaris, minores, longis calcaribus prędditi, cęrulo-purpurei, folio superiore bifido, apicibus in rictu luteis, concolori etiam labelli portiunculâ penitiore : succedunt *vascula* penè rotunda, calyce ex quinque foliolis excepta, quę continent *semina* longiuscula compressa; qualia sunt Alyssi Dodonæi.

Clus. in Pannon. pag. 307. & 309. vocat Linariam Pannonicam 2. siue Alpinam pumilam : In Hist. post. Linariam 3. Stiriacam. Tabern. Linariam Pannonicam. 2. *Vngerisch Linkraut.* Gerard. Osyridem albam *vvhite toue flaxe.* An verò iconem Tabern. legitimè albam faciat, considerent lectores. Imago apud H. Lugd. pag. 1151. Linarię minoris Dalechampii, quod folia inferiora attinet, non in omnibus placet : C. Bauhin. phyt. est Linaria 10. siue pumila ex violaceo purpurascens. An Gesn. hort. Linaria Alpina minor? An Camer. hort. Linaria flore cæruleo, in aruis reperta, fermè Antirrhino minimo similis, & vt existimat, tantùm annua?

Geneuę circa fluuium *Arue* floret mense Maio : in monte Thuiri loco arenoso & decliui ad meridiem sito, mense Iunio. Reperi eandem in Narbonensi Gallia apud tres pontes inter Nemausum & Auinionum. Clusius inter saxa & præcipitia montium Austrię collegit, ac in horto coluit. *Locus & Tempus.*

LINARIA PARVA PVRPVREA, foliis sine ordine dispositis.

Cap. XCVI.

TEnues & humi diffusos habet *caulículos*, valdè frequentibus, angustioribus, sine ordine *Descript.*

dine disposítis, crassiusculis,& coloris cæsii *foliatis* obsitos, in plures alas nonnunquam diuisos, quarum fastigium occupant multi, spicæ instar confertim nascentes, *flosculi*, colore superiori ferè similes, sed multò minores: quibus succedunt parua *capitula semine* plena, de cuius forma & colore nihil asserit Clusius, quandoquidem florentem, & capitulorum rudimenta duntaxat præbentem in Morauiæ collibus inueniebat: *radix* multis fibris constat, & perennis apparet.

Syon. Clusius, cuius descriptionem damus, intitulat Linariam 4. & Morauicam secundam. Lobel.in Adu.& Icon.Plant.p.410. Osyridem purpuro-cæruleam repentem. C.Bauh.phyt.Linariam 11. seu purpuro-violaceam repentem.

Meminit idem Clusius Linariæ tenellæ ex purpura nigricantis, vt & Linarię paruę carnosis foliis, floribus cæruleis ad cinereum tendentibus.

Loci & Tempur. Linariam Hispanicam quartam Clusii, siue Linariæ Hispanicæ quartum genus Clusio primũ videre contigit anno 1590. in cultiss.horto Illust. Principis Cattorum Vilhelmi: semine peregrè misso natum Cassellis, Augusto mense suo flore onustum, & maturum semen in vasculis continens: Semine inde accepto authori data sequenti anno, totâ Æstate & Autumno floruit, & maturum semen tulit.

LINARIA CÆRVLEA, CALCARIBVS longis.

Cap. XCVII.

Descriptio. *Radix* tortuosa, dura, alba, fibrata: *caulis* singularis, simplex, pedalis, glaber, teres, gracilis: *folia* alia aduersa, alia alternata, vncialia, angusta, acuminata, læuia: *flores* per summum scapum eo ordine quo in Linaria vulgari, eademque formâ, dimidio minores, calcari ferè longiore, cærulei, quinque, herbacei coloris, angustis, longisque foliolis basin suffulcientib. *vascula* minora, quàm Lini vulgaris.

Gener Cherlerus attulit collectam in Italia in vijs prope Viterbam.

LINARIA ODORATA MONSPESSULANA minor cærulea.

Cap. XCVIII.

Descriptio. Odorantalibus & breuioribus ex *radicula* fibrosâ mox ortis *caulibus*, tenuibus, rigidis, quos *folia* vestiunt rara, alternatim ex longis interuallis, fili instar tenuia, semũciâ longiora, *flores* in cacumine serie quadã sibi inuicẽ succedũt. Linariæ odoratæ maioris, cærulei, calcari longo præditi. Icon est in præcedenti tabula.

LINARIÆ SIMILIS.

Cap. XCIX.

Descri pti. *Radice* nixa lignosâ, satis crassâ, modò simplex, modò in capita plura diuisa: *caules* statim è radice plures emittit, palmares, aut etiam cubito longiores, ramosos, & non ramosos, angulosos: per quos *folia* Lini, glauca, longa, angusta: ex quorum sinu iii ramulorũ summitate *flosculi* emergunt parui, quos sequũtur *vascula* parua.

Anonymus Lini folio Clusii, descriptio. Huic similis admodum est, si non eadem, Anonymos Lini folio Clusii, quam sic describit: Pedales habet *ramulos*, duros, ex viridi pallescentes, & in his multa folia temerè sparsa, nulloque ordine dispositа, dura, angusta, lõgiuscula, Lini foliorum æmula, eiusdẽ cum ramulis coloris, qualis in Ruta montana elucet, h. e. ex viridi pallescente, gustu nonnihil acido primùm, deinde amaricante: extremi cauliculi in multos ramulos siue pediculos diuiduntur, qui *flosculos* albicantes sustinent, quinque foliolis stellatim decussatis, constantes, cum aliquot interioribus staminulis, qui tandem in singularia *semina* efformantur, pentagona, duro corio siue putamine medullam albam continentia: *radix* candicans, multifida, perennis & viuax, annuatim nouos ramulos, siue virgulas producens: nonnunquam etiam serpens, Linariæ repentis instar.

H.Lugd.p.1150. figuram proponit plantæ, quã intitulat Anthyllidem montanam, quæ multa habet communia cum nostra planta.

Caspar.Bauhinus phyt. Anonymon linifoliam Clusii, Linariam 15. siue montanam flosculis albicantibus cognominauit, & eandem cum Anthyllide montana Historiæ Lugdunensis fecit, qua de re nihil certi pronunciamus, sicut neque

an eædem sint cum nostra Linariæ simili.

An Tabern. in Icon. & Hist: dicitur Linaria adulterina, falsch Linkraut? An Gerardo Linosyris nuperorum Busch tode siare.

Locus & Tempus. Linariæ similem variis in locis obseruaui, vtpote Geneuæ, Basileæ, in monte prope Birseck, & Montbelgardi. Anonymos Lini folio Clusii copiosè nascitur editioribus herbosisque locis agri Viennensis: tum etiam herbosis collibus Posonio vicinis, in accliuitate Hamburgensis montis, quà Altenburgum spectat, aliisque præterea plurimis Austriæ & Pannoniæ montibus, etiam interamnis vltra Drauum. Floret Maio. Meminit & Clusius Madritianâ siluâ, secundo ab vrbe Lutetiana miliari colligere, sed longè exiliorem.

LINARIA BELVIDERE DICTA.

Cap. C.

Descriptio. MVltùm fibrosam *radicem* habet, & perquàm surculosa planta, rigidula, sed fragilis: *folia* quàm vel Lino, vel Linariæ vulgatæ longiora, frequentiora, incondita, sapore subamaro: *flosculi* secundùm caulem & alas herbacei, obtutum præ paruitate propemodum fugientes, vel etiam purpurei, quibus succedunt exigui loculi, in quibus *semen*

Linaria Beluedere dicta.

Icones. *Beluedere altera icon.*

Tres figuræ, quas ponimus, sunt ex iis, quę paratę erant, quasque emimus.

Dodon. de Floribus huius Linariæ meminit, cùm ait Campanulam hortẽsem maiorem [Cãpanulam cęruleã Rapunculo similem, vel angustifoliam] plerique Beluedere nuncupant: sed Italis Beluedere, Græcorum est Osyris, cum qua Campanula nihil omnino habet similitudinis. In fol. lat. pingit & describit Osyridis titulo, eamque à Linaria, quam multi Osyridem faciunt, distinguit, vt ex qua videlicet κορήματα, hoc est, scopæ hac ætate in Italia componantur, ceu & olim Galeni seculo. Apud Italos *Beluedere*: in Græcia modò ἀυξύρις dicitur, voce corruptâ, teste Anguillarâ: nam olim ὀσύρις: Latinis quoque Osyris nominabatur.

Belle videre. Hanc, quam Dodonæus Osyrim esse existimat, Gesn.hort. *Belle videre* Ital. & *Beluidere* Italorũ vocat: item Scopariam aliquorum, ac aliorum Herbam studiosorum.

Osyris non est. Lobel. in Adv. cap. de Osyride, ostendit descriptioni Osyridis minùs conuenire Scopariam, *Belueder* Italorum [ita in Adv. proprio capite, inque Obs.p.223 inscribit.] in Icon. Plant. p.409. Scopariam & Osyridem Græcorum Dodonæi inscribit: Tabern. in Ic. & Hist. Herbam studiosorum, Studenten kraut: C.Bauh. phyt. Linariam 18 siue Scopariam: Gerard. Scopariam siue Osyridem Græcorum: Item Hyssopum albis floribus. Quamuis autem Gerardus aliquam in floris colore differentiam assignet, tamen Linariam Beluidere repræsentat. Tabern. quoque licèt pro Satureia Romana 2. eam iconem dederit, tamen nec vlli Hyssopo, nec vlli Satureiæ competit.

An Linariæ Beluidere effigies 3.?

Locus & Tempus. Geneuæ in horto ex semine deciduo prorumpit Aprili, vegeta Maio. Lugduni & Montbelgardi Iunio & Iulio in vigore. Plerisque Græciæ locis sponte gigni: Æstate virere ac vigere: sub Autumnum semen maturare, author est Dodon. Non perinde bellulam hanc aut speciosã re, atq; Italico nomine, propter raritatem exoticam apud Italos in hortis & pensilibus figulinis vasis ali solitam, hodie perquàm vulgatam pronunciat Lobelius.

In Arborem formatur. Beluidere in arborem formatur altitudinis hominis, cuius pulchritudini iungitur gratus color viridis: folia similia Hyssopo: ex India retulerunt: propagatur semine & radice: à frigore facilè lędi-tur, ideo serenda ad meridiẽ, vt tuta sit ab Aquilonio vento, & tutiùs in vasis terreis, aut cistis. Et hæc in Theatro Agr. de Serres scripta reperiũtur. Ego tamẽ haud crediderim radicib. posse propagari: annua siquidem herba est, quæ ad radicem nullos oculos habet ad propagationem aptos: itaque potiùs ex solo semine deciduo se propagat, vt etiam Montbelgardi experti sumus.

ANTIRRHINVM VVLGARE.

Cap. CI.

Descriptio. NVllam ferè humum spernit Antirrhinũ, & ex parietinis ficciśque maceriis in cultius solũ descendens, & hinc illuc translatũ, de fœcũditate haudquaquã remittẽs: *radice* lignosâ, albâ:

caulibus

caulibus pluribus, cubitalib. sesquicubitalibus & altioribus, intus iũceâ medullâ farctis: *folia* ferè alternatim exeunt, Leucoij lutei, quod Cheiri vocant, sapore subacri: *flores* in summis scapis in thyrsi morem dispositi colore carneo albove, oblongi, rictum leoninũ exprimentes, bifido folio surrecto, labello trifido antequam in lacinias diuidi incipiat nonnihil luteo, fimbriáque villosâ donato: pericarpia simiæ aut vituli caluariam egriè mentiuntur, in quibus *semen* pusillum nigrum.

Icon. 2.

Anthirrinon Dioscoridis Lychnis silu.

Antirrhinon Plin.

Anthirrinon siue Anarrhinon, quod aliqui etiã Lychnida silueſtrem vocauerũt, Dioscoridi herba est caule, foliisq; Anagallidi similis: floribus Leucoij, minoribus tamen, purpureis, ideò etiam silueſtris Lychnis nominata est. Fructum verò gerit vituli narium similem, aspectu russeum.

Antirrhinon vocatur (inquit Plin. lib. 25. c. 10.) siue Anarrhinon, siue Lychnis agria, similis Lino, radice nullâ (minimâ, Gazaa pud Theoph. l. 9. Hist. cap 21.) flore Hyacinthi, semine vituli narium.

Anthirrini vulgaris Icon. 3.

Dioscoridi & Plinio dictũ Antirrhinũ, Theophr. loco proximè citato, Antirrhizum nominatur, vtilis herba ad gloriam comparãdam, Aparinę similis: radice nullâ. fructui insunt tãquã nares vituli, quo perũcto gratiã, vitæq; gloriam consequi creditur. Verũ Dioscoridi cum Plinio cõuenit in nomine, ita ille in descriptione, dissentit tũ à Plin. tũ etiam à Theophrasto. Plin. namq; tribuit Anthirrh. folia Lini, rectiori similitudine, quàm Dioscor. Anthirrh. folia & caules Anagallidi comparat. Hermolaus autẽ corruptè apud Plinium pro Aparine, Linum eo loco scribi putat. At verò quæ affinitas Anagallidi, vt Dioscorides comparet, cum Aparine, aut Lino?

Quod à Plin. describitur copiosè in Anglia, authore Turnero, nascitur in segetib. primo aspectu Lolio simile est, quoad florẽ, partim etiã folij colore accedit, quod maius & longius est Lini foliis, formâ tamen non ita absimile. Hæc herba posset Angl. dici Calfs Snowte. Antirrhinó autem à Dioscor. descriptũ, in Anglia non prouenit, quod quidẽ Turnerus viderit, nec vllã adhuc plantãse vidisse ait cui Dioscor. descriptio cõueniat, nullãq; etiã quę Theophr. descriptioni possit accõmodari.

Anthirrhinum Plinij Turnero.

Græcis igitur ἀντίῤῥινον, ἢ ἀντίῤῥιζον, si non vitiosũ Theophr. exemplar. & ἀνόῤῥινον dicitur Latinis similiter Antirrhinum. Auctore Galeno etiã βκυράνιον, & Lychnis agria siue silueſtris, λυχνὶς ἀγρία nominatur. Apuleius etiã ἀμέθυστος, πιθήκιον, κυνοκέφαλον, Canis cerebrũ, Herbam Simininam, Venustã minorem, & Opalim gratã appellari refert. Creditur quoque esse Leo herba, quem inter flores Columella lib. 10. refert, sic scribens:

Bucranion? Lychnis silu. Amethystos. Pithicion.

Leo.

Narcissique comas, & hiantis sæua Leonis
Ora feri. Item & infrà: *Oscitat & Leo.*

Os leonis. Casalp.

Et huius sententiæ videtur fuisse Cæsalpinus, qui Anthirrinũ, Os leonis vulgò, appellari prodidit, herbam foliis Linariæ, florib. capitulis effigie canini capitis, in mœnibus Elorentiæ copiosam: Et quandã in præruptis scopulis, foliis breuiorib. latiusculis, subhirsutis, florib. pallescentib. Aliam in montib. similiorẽ Linariæ, rectícaulẽ, flore cæruleo: In vineis quoq; rectícaulẽ, flosculis purpureis. Et has omnes Pliniũ intelligere credit, appellantẽ herbã Cynocephaliam, quasi caninũ caput, quã in Ægypto Osyritem vocari dicit, diuinã herbã, vt Appion Grãmaticus asserebat, & contra omnia veneficia: Meminisse & Canini capitis in Psyllio. Dioscoridẽ eam quæ roseo flore constat, Chamæpeucem appellare quasi humilem Laricem, quo in loco deprauati quidam codices legunt Chamaleucen: Plinium tamen Chamæpeucen quoq; legere. Esse qui ad Antirrhinon has referãt, quod à Plinio tribuantur folia Lini Antirrhino: Osyritim dictam videri apud Ægyptios: quia ob similitudinem capitis vitulini dicata sit eorum Deo, vt bos.

Gesnerus contrà, Leonem Columellæ, Aquileiam esse existimauit, quam ea de causa Leontostomium nuncupauit: sed hoc nominis Antirrhino maiori (cui de hort. flores luteos, albos, rubros & roseos adscribit) magis conuenire, quàm Aquileiæ, Dodonæo videtur. Nam Antirrhini hians flos, leonis rictum citiùs, quàm Aquileię refert. Est verò & alius Leo, qui ὀροβαγχὲς & leguminum Leo dicitur, alio nomine Orobanche: de quo suo loco egimus. Est & alia Amethystos herba, cuius Plutarchus meminit, κράμβη videlicet: de qua alio loco agetur.

Leo Columellæ est Aquileia Gesneri.

Antirrhinum quod à floribus rictum vitulini vel Leonini oris æmulantibus, potiùs Leontostomos nominandum censuit Matantha, Germani Sterckkraut/ Brackenhaupt: hendskopff/ hoc est, caput canis, Kalbskopff/ id est, Caput vituli, Kalbsnase/ Nasum, vel Nares vituli, Lowenmaul Os leonis, & Drant/ cum Belgis appellant, quàm aptè consule Turnerum:

Nomina *Leontostomos. Caput canis. Caput vituli. Nasus vituli.*

Galli *Mouron violet*, & *Oeil de chat*. Itali *Antirrino*: Hisp. *Veserra yerua*, & *Cabeza deternera*: Angli Calfes snowte / vel Snap dragon : Bohemi Hledyk.

Synon.

Lobel. in Icon. Plant. vocat p. 401. Antirrhinum, vulgò Caput canis, & Caput vituli Apulei, Cynocephalin : Item Anthirrinum floribus luteis. Hort. Lusi. Antirrhinum maius purpureum satiuum, Schvvenkf. Antirrh. maius, ἀντίρρινον Dioscoridis flore varians, incarnato, candido, luteo.

Icones.

Figuræ Fuchsianæ quas posuimus non multùm placent, verùm iam sculptæ emptæ erant. Matth. in post. comm. & Hist. germ. picturas duas Antirrhini exhibet, nempe primi & secundi, quæ qua in re differant ab inuicem, ex figuris colligere non possum, nec etiam ex eius verbis, cùm omnia Antirrhinorum suorum genera distinguat tantùm coloribus.

Camer. in Matthioli Hist. germ. & Epit. duas habet Anthirrini figuras, nomine primi & secundi, cui flores ex purpura albicantes, seu incarnatos, & rictum luteum adscribit. Idem in Hort. vocat Antirrh. maius flore roseo, in agro Monspelienſi & Nemausensi. Item Antirrh. flore incarnato, luteo, candido: Adhæc, Antirrh. pulcherrimum flore luteo grandi, spontè inter Sauonam & Genuam.

Lobel. in Adv. Antirrh. florib. purpureis, ex rubro violaceis, vel roseis & albis : Item Antirrh. luteum foliis latiorib. breuioribus.

H. Lugd. 3. icones.

H. Lugd. pag. 1340. huius plantæ figuram habet sub titulo Antirrhini 2. Matthioli. Alteram pag. 1341. sub inscriptione Antirrhini magni Dodonæi. Et tertiam pag. 330. pro Cynocephalo Plinij.

Tabern. 3. icones. Antirrh. ignotum.

Tabern. in Icon. & Hist. Antirrhinum : Item, Antirrh. album : Et Antirrh. luteum.

Antirrhinon quid sit, fatetur se ignorare Bachanellus, Sed & Anguillara Antirrh. Dioscoridis non nouit: Theophrasti verò & Plinii in Italia nomine *Cazzugelli* passim notum affirmat. Quamuis autem vnius tantùm meminisse videantur Veteres, Recentioribus tamen plures sunt differentiæ.

C. Bauhin. not.

C. verò Bauhini in phyt. Antirrhinum 1. siue maius rotundiore folio: Et Antirrh. 2. siue maius alterum folio longiore, quod flore roseo haberi ait, rubente, aliquando maculato, ex candido dilutè purpurascente, & candido: Itemque Antirrh. 3. siue luteo flore : ad vnum hoc vulgare Antirrhinum referimus.

Cæterùm inter Antirrhina numerantur, & Antirrhini nomine sequentes insigniuntur plantæ. Antirrh. angustifol. siluestre. Antirrh. minimum. Antirrh. fol. serrato. Linaria. Linar. purp. maior. Linar. odorata. Linar. Valentina. Lutea. Alsine fol. serrato. Hyppoglossum. Cyanus. Hippuris.

Antirrhini vulgaris locus & tempus.

Cæterùm, planta quæ solet Antirrhinum vocari copiosè prouenit in via quâ itur ad syluam Aigremont, & aliis in locis: Basileæ in horto D. Plateri & patris mei floret Augusto, & Septembri semen maturat. In horto Ill. E. C. mihi prouenit purpureo, vel roseo, albo, & luteo, ac etiam mixto colore. Ex his purpureum Antirrh occupauit muros, & Hiemem perfert: præterea deciduo semine, quamuis non annua herba sit, se propagat, florens Iunio & Augusto. In aruis & collibus Matthiolus reperit: Camer. in Italiis & Galliis, præsertim Prouinciali & Narbonensi inter Oliueta. In hortis, inquit Dodonæus, apud Belgas, Italos, Grmanos & alibi seritur, & Maio mense, quod Hiemem superauit, & reliqua deinde Æstate, floret: serius verò & sub Æstatis finem, eiusdem anni Vere satum. Hiemem autem nisi clemens admodum fuerit, aut in cellis vinariis repositum, absque iniuria in Belgio non sustinet, Dodonæus.

Antirrhini semen inutile in medicina, vt Galenus ait, est: herba verò ipsa assimilis cum Bubonio facultatis, sed multò minoris: ex qua de hac coniiciendum, quod in Dioscoridis libro fortè periit. Apuleius radicis in aqua decoctum, fotu epiphoras oculorum, celeriter lenire refert. Narrant, inquit Dioscorides, appensum veneficiis aduersari: & gratiam conciliare, si quis eo perunctus sit, cum oleo Liliorum, aut cyprino. Tradunt alij huius semine perunctos ex oleo venustiores fieri, nec vllo medicamento lædi posse, si quis appensum gestet. Quinetiam Principum gratiam sibi conciliari posse putant, hoc tantùm amuleto.

Vires & vsus.

ANTIRRHINVM ANGVSTIFOLIVM syluestre.

Cap. CII.

Descriptio.

Elegãtula est plantula, tenui albicantéque *radice: caulículis* palmaribus, aut cubitalibus, teretibus, hirsutis, quos alternatim ornãt *folia* Hyssopi paria, simul plura, inferiùs nonnunquam rubescẽtia, pinguia & nonnihil acria, subamara: *flosculi* ex foliorum alis bicolores, partim albi, partim purpurascentes, Antirrhini maioris, sed multis numeris minores, quorum basin obuallant quinque, vel septem folia viridantia, hirsuta, quædam longa, quædam breuia: pericarpium caluariam catelli egregiè refert, ac oculorum fossas, nareſque corniculo inductas, in quo *semen*.

Antirrh. Plinianum.

Nonnullis hanc plantã Pliniano Antirrhino eandem esse visum fuit. Agricola autem eandem cum Cynocephalia esse suspicatus fuit. Matthiolus contrà istud Antirrhinon pro legitimo olim exhibuit. Habet autem Antirrhini figuram fictam, quod flores attinet: folia etiam videntur nimis ad Linum accedere. In post. comm. cum mag. fig. & Hist. germ. priorem effigiem omisit, & meritò aliam substituit, sub titulo Antirrhini quarti, quod non describit, nec ostendit qua in re à cæteris suis Antirrhinis differat. Neque mirum si in prioribus comm. de Antirrhino, eiusque foliis dubitauerit, siquidem tunc non nisi vna tantùm Antirrhini planta ad manus ipsi fuit, vt in epistola ad Heroldum perscripsit.

Lacuna

Lacuna. habet figmentũ Matthioli primò exhibitum. Sed nec figura Loniceri multùm placet.

H. Lugd. tres habet figuras. Harum prima est p. 1140. Anthirrhinum Matthioli, fictitia vti dictũ. Altera p. 1341. Antirrh. 4. Matth. Tertia ead. pag. Anthirrinum paruum Dodonęi, siue Orontium.

Euch. Roeslin sub nominibus Orant/teufelsband/sterckkraut/kalbsmaul/ Osiris, Antirrhinon, Lychnis siluestris, pingit Antirrhinum minus, & præterea Luteam sub nomine Sterckkraut, confundit.

Dodon. gall. dicitur Antirrhinum alterum, & Antirrhinum minus. [Et sic etiam Gesnerus hort. & de coll. stirp. vbi & Antirrhin. foliis Hyssopi, itemque Tabern. in Icon. & Histor. vbi quartum facit.] Eidem de Florib. Antirrhinum silu. siue minus: Hoc Lat. in fol. Antirrhinum siluestre inscribit, meliorémque figuram, quàm in gall. Hist. habet, describitque etiam.

Synonyma. Lobel. in Adu. Obs. p. 222. & Icon. Plant. p. 405. Antirrhinum minimum appellauit: Camer. in Matth. Hist. germ. & Epit. Antirrh. quartum: In Horto Antirrh. medium, & Orontium aliorum: Castor, qui plus habere similitudinis affirmat cum Phyteumate quàm satiuum, cum Pona Antirrh. siluestre vocat: Thal. Antirrh. rubrum aruense: Schvvenckf. Antirrh. medium, Antirrh. silu. maius; Antirrh Plinij, & Orontium Archigenis: Hort. Lus. Antirrh. medium siluestre: C. Bauh. phyt. Antirrh. 5. siue aruense maius, vno loco procerius altero breuius: Honor. Bellus Phyteuma.

An Cæsalp. Os leonis, similius Linariæ, rectícaule, flore cæruleo, in montibus? An Turn. Anthirrh. Plinij?

Locus & Tempus. Monspelij repetitur mense Octobri semine maturo: inter Viennam & Valentiam florens Iunio: Basileæ etiam Maio, Iulio Augusto & Octobri: Geneuæ iuxta Rhodanum versus castellum *La Baſtie* florens Iunio: Montbelgardi in agris prope Audincourt virens & florens Octobri. Vbiuis tandem hortorum, inculturúmque marginibus sponte plurimùm innascitur.

Vires. Anthirrhinum porrò hoc siluestre nullius quidem est vsûs: si autem verum Phyteuma fuerit, ad amores profuerit.

ANTIRRHINVM MINIMVM. Cap. CIII.

Descriptio. TOta minor est hæc plãtula Antirrhino minori dicto, *radice* paruâ, durâ, fibratâ: *caule* crebris alis concauo: in quib. *folia* haud multò minora iam dicto, sapore non dissimili: *flos* corniculatus posticâ parte, anticâ hians, dilutè violaceus: capsellæ oblongæ, ventriosæ, septi crassiusculi beneficio in duos loculos dispescuntur, *semen* continentes copiosum, minutum, atrum.



Nisi hoc sit Antirrhinum 3. Matthiolo, nescio quale intelligat, pingit tantùm & non describit in post. comm. cum magn. fig. lat. & Ital. itémque Hist. germ. Camerario apud Matthiolum in Histor. germ. & Epit. est Antirrhinon tertium, floribus albis pusillis: H. Lugd. pag. 1340. Antirrh 3. Matthioli: Camer. hort. Thalio, Schvvenkf. & Hort. Lus. Antirrhinum minimum: Gesn. de coll. stirp. Anthirrhinum aruense foliis peranguſtis. Antirrhini genus paruis foliis. C. Bauh. phyt. Antirrh. 6. siue aruense minus, Lob. in Icon. Plant. p. 406. Antirrh. alterum minimum repens Sed cur dicitur repens? figura eius siquidem repentem plantam haud repræsentat. Nostra autem *figura* ex emptitiis non placet.

Locus & Tempus. Basileæ copiosè in agris prouenit: Montbelgardi abundat florens Iunio & Augusto, in aruis & vinetis.

LVTEA PLINII QVIBVSDAM. Cap. CIV.

Locus & Descriptio. SEcus vias & in ruderibus nascitur Luteola, *radice* lignosâ, minimi digiti crassitie, interdũ plusquam pollicari, albâ, sapore Nasturtij acri: *caulibus* compluribus, & admodum ramosis, viridantibus, striatis, arctiori tubulo pertusis, ad cubitum vnum aut alterum excrescit: *folia*, antequã caulescat, humi in orbẽ pòst in caulibus & ramis nullo ordine crebra nascuntur, atro-virétia, semunciã circiter lata, palmum longa, interdum crispa, aliàs æquabili superficie nitentia, sapore subacri cum lentore: *florum* thyrsi longi magnam caulium & ramorum partem occupant, luteis apiculis constantes, quibus setacea succedunt *vascula*, hiulca, ternis intrò inclinantibus prominulis punctis, extrinsecus crispa, *semen* continentia pusillum, rotundum, nitidum.

An ruellio lib. 2. cap. 115. Herba nostræ ætatis, quæ cortinis suffectoriis indita luteum lanis prębet colorem? *Gaudum* nostra rura vocant, vel Gaisdum ex colore, quem siccata præfert, quæ ex decocto, quod lanæ resorbentes imbibunt, Lutea meritò vocari potest.

Lutea Gesn. Resęda Plinij. Gesn. hort. authore Lutea, vel Luteum Vitruuij eruditis quibusdam existimatur hæc, quam aliqui Resedam Plinij voluerunt.

Marcelli lapsus. Herbam luteam apud Dodonæum gall. aliqui Florem tinctorium vocant, & Belgæ nonnulli Orant, sed nõ sine errore: Alia enim est Orant, cui nihil cum hac planta affine est. Lat. in fol. Lutum Herbam inscribit, ac Plinium eius lib. 33.

cap. 5. obiter meminisse, & Luteam appellasse tradit: Vitruuium verò lib 7. Luteum: sed Virgilium in Bucolicis Ægloga 4. Lutum nominasse;

Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera Luto.

A Luto autem luteus color & Lutea dicuntur, veluti à Croco crocea, & à purpura purpurea Belgæ hanc vulgò ponme nuncupant.

Marcell. Virgilius Vitruuij libri 7. locum inferiùs allegandum omninò mutilum adducit, existimans eandem cum Isatide Lutum, siue Luteum herbam esse, atque eâ cæruleum tingi: in quo à vero recessit: Differt siquidem Lutum herba ab Isatide, & nequaquam cæruleo sed luteo, aut viridi colore, vt dicemus, inficit.

Lobelius, qui in Icon. plant. p. 353. & Obs. p. 190. [vbi Gallobelgis waude, & Germanis, quod nomen tamen non conuenit, Acker pfriemen vocari ait.] Luteolam pingit, & in Aduers. tertiam Glasti speciem rectè constitui posse putat. Sed quæ Luteolæ cum Glasto intercedit similitudo? *Lobelij lapsus.*

Camerarius in Hort. vocat Luteam Plinij, & χέμαδρυν Græcorum modernorum. Ad Epit. Matthiol. eiusdemque Hist. germ. posuit figuram, quę arridet, cui adscribit Stercfraut, Pseudo-Struthium aut Lanariam nominant, sed non conuenit cum Theophrasti lib. 6. cap. 3. de Hist. plant. Struthio, nec etiam cum Plinij: quidam Theriacariam vocant: vt rectè annotat Matthiolus. Præterea Struthion non esse, ac multò minùs Ptarmicen manifestius est quā vt referri debeat: Folia siquidem huius magnitudine Oleę folia superant: at Ptarmice à Dioscoride, & Struthion à Theophrasto Oleæ similia folia habere traduntur.

Tragus reprehendit. Tragus lib. 1. cap. 118. haud rectè Antirrhini nomine pingit ac describit: vnde Thalio dicitur Antirrhinum Tragi. Alij Phyteuma esse contendunt. Herbarum icones Egenolphi p. 69. in edit. 1551. & Lonic. in Dioscor. vocant Catanancen.

Sed & Tabern. in Ic. inscribit Catanancen, Arcopodiū & Leuteolā Streichfraut/Sternfraut Errant (inquit in Hist.) qui Antirrhinum volunt: A solo Dioscoride & Plinio describitur & græcè dicitur καταγυη, Δαμιαυίη, aliis Iouis radius, Datisca & Crepula: Vitruuio Luteum, Plinio Lutea, & lib. 27. cap. 8. Catanance, Herbariis Luteola, Vnguis miluinus, & Vnguimiluia: It. *Vnge de Gatto herba.* Hisp. & Port. *Vnhas de Gato yerua*, Sclauon. Carophitta/Anglicè dicr wede.

Locus & Tempus. Basileæ copiosè floret mense Iunio: Monspelij & Lugduni Maio: Geneuæ viret Ianuario. In Belgio magna copia, tametsi aliis etiam plerisque locis Galliæ & Anglię ruderibus & similibus occurrat, Lobelius. Seritur pinguiac restibili gleba, pluribus in Belgio locis nascitur, & sponte non modò in Belgio, verùm & in Pannonia, Bohemia, tum & alibi. Maio mense floret: semen deinde adfert: postea collecta herba siccatur in vsum tinctorium, Dodonæus.

Vsus. Hoc apud nos Mediomatrices (inquit Tragus) non nisi linamentis lectorum luteo colore tingendis vsurpatur, & si quid iudico, calidæ & humidæ temperaturæ est. In exterioribus tantùm corporis partibus vsum suum hodie habet. *Et paulò post*: Mulierculæ hanc herbam siue sicca sit, siue recens, in aqua cum alumine decoquunt, tingendis linamentis. Magno vsui & emolumento, Lobelio in Adv. assentiente, est Luteola, recentioribus tantùm cognita, ad colorem fuluū aureúmve pannis conciliandum valdè expetita, præsertim in Belgio, vbi magna copia. Inficiuntur [pergit Dodon.] hac Luto herbâ panni lanei, aliáque ex lana opera, & lineæ telæ colore luteo & virenti: luteo quidem candida, & nullo alio priùs imbuta: virenti verò cæruleo antè tincta: Nam Luti herbæ color cæruleo superinductus viridem efficit: Id quod & Vitruuius cognitum habuit lib. 7. de architect. cap. 14. Qui nō possunt ait, Chrysocollâ propter caritatem vti, herbâ quę Luteum [aut potiùs Lutum] appellatur, cæruleū inficiunt, & vtuntur viridissimo colore. *Camerario* apud Matthiolum referente, aduersus venena & morsus venenatos præstantissima creditur, inde quibusdam Theriacaria dicta: verùm nihil certi habet, cùm eius nullum fecerit periculum, acer radicis sapor arguit calfacere, rarefacere, dissipare, aperire, vrinas & sudores citare. Lanarum porrò infectoribus vsûs magni esse testatur quotidiana praxis: rudes enim & albas cum alumine decocta, colore luteo tingit: cæruleas autem viridi, idque magis minusve intenso, quò saturatior dilutiorue fuerit color cæruleus. Ita panni bicolores vno eodemque tempore, vno eodemque decocto ex eadem cortina extrahuntur.

LVTEA MAXIMA CRETICA HONORII Belli.

CAP. CV.

Descriptio. LVteam Creticam maximam à Cl. D. Honorio Bello, vito tum in arte medica, cuius nomine in Candia clarus excellit Medicus, tum in omnibus disciplinis, potissimùm verò in studio Botanico versatus, cum aliis multis creticis ad nos misit, adiunctâ hac descriptione, in data ad nos epistola. *Lutea Cretica maxima*: planta pulcherrima est: neminique cognita: ea namque vnico tantùm loco inuenitur, qui vocatur ὀριδόσπερμα tertio ab vrbe Cydonia lapide inter montes. Nascitur in aquis & locis humentibus: ibi enim riuulus quidam è fonte scaturit, qui per angustam vallem discurrit in quo inuenitur, & etiam iuxta eius ripas: an alibi nascatur, ignoro. *Radicem* maximam profert, lignosam, in multas diuisam, crasso & lento cortice vestitam. *Stolones* plures ab vna radice nascuntur, brachiali crassitudine, qui ad quinque, sex, atque etiam ad decem vsque cubita attolluntur, qui Hieme exsiccantur. *Folia* fert magna, pinnata, ex multis foliis magnis constantia, longis, serratis, vt Cannabis, alterno positu hærentia, sine tamen ordine certo. *Flores* minimi ex viridi pallescunt.

Trunci

Trunci pars ſuperior in marinam ſpicam faſtigiatur, duos & ampliùs cubitos longam, ex vaſculis quibuſdam longis & anguſtis, denſiſque conflatam, ſimilibus eis, quæ Reſeda vulgaris gerit, ſemine plenis ad ruffum tendente. Procùl intuentibus Cannabis eſſe videtur. Tota herba & radix ita amara eſt, vt Aloëm etiam & Colocyntidem ipſam, meo iudicio, ſuperet. Colore luteo inficit Autumno, ideóque Luteã vocauere. Antiquis ignotam puto, & nemini cognitam, quàm Siluerio Todeſchini Fundano Cydoniæ Pharmacopæo, viro in cognitione ſtirpium exercitatiſſimo, veſtriſque nominis ſtudioſiſſimo, qui primus his diebus inuênit, mihiſque oſtendit. Huius tam raræ ſtirpis eiconem à me delineatam mitto, vt veſtræ hiſtoriæ generali [ſi lubet] adnectere poſſitis. Hæc Bellus. Nos huius plantæ ſemina terræ concredidimus Montbelgardi in horto Ill. E.C. verùm non prouênit.

Cannabis.

Aperit aluum.

Luteum cur dicta?

RESEDA LVTEA.

Cap. CVI.

Deſcriptio.

TEnuem quidem, ſed longam ſatis *radicem* habet Reſeda nuperis dicta, lignoſam, notabili acimoniâ præditam: à qua *caules* procedunt fiſtuloſi, ſeſquicubitales, ſtriati, ſubhirſuti, ramoſi: *folia* Cakiles Serapionis diuiſurâ profundâ, inordinata, criſpa ſeu vndulata, ſapore oleraceo: *flores* in thyrſulum ſpicámve digeſti longam, lutei ſeu herbidi, foliolis ex vmbilici oris extantibus, in tria ſegmẽta (quorum duo lateralia latiora mediũ fili inſtàr tenue & breuius vtrinque ſtipant) partitis, intra quorum ſepta apices multi ſeſſiles, luteoli, & ſtilus triceps: capſulæ ſeminum effigie vrceoli inferiùs hiant, *ſemen* continentes paruum, nigrum.

Reſeda vnde dicta?

Reſeda, à ſedandis doloribus dicta cenſetur: collectiones namque & inflammationes omnes diſcutere ipſam Reſedam ſcribit Plinius.

Plinius.

Lobel. in Icon. Plant. p. 222. Reſedæ maximæ titulo pingit, itemque in Obſ. p. 110. An verò eam ab alba rectè diſtinguat, videãt alii. Lucas Ghinus, Geſnero de hort. teſte, Seſamoides maius nuncupat: Reſedam luteam Dalechampius: Reſedam Plinii, & Erucam peregrinã, welſchen Raucken/Schvveckf. quem miramur hanc inter hortẽſes recenſere: Reſedas C. Bauh. Erucis ſubjecit, propter ſaporem Erucæ ſimilem, deinde etiam eò quòd à quibuſdam Erucæ dicantur, & ex Erucarum ſilueſtrium genere cenſeantur. An Reſeda latifolia Tabernamontano?

Eruca peregrina.

An Reſeda latifolia Tabern.

Geneuæ in muris florentem maio vidi, itémque in horto meo Hiemem etiam perferentem.

Locus & Tempus

Montbelgardi copiosè prouenit iuxta ſegetes in planitie inter *Bechan & Audincourt*, florens Iunio, Iulio, & Auguſto, ac etiam vltra pontem Vauiaucourt.

RESEDA ALBA,

Cap. CVII.

Deſcriptio.

MInùs frequens eſt Reſeda alba, cętera Luteę frequentiori ſimilis, niſi maior paullò videretur, id quod fortè culturę tamen imputes: verùm florum thyrſi albicant, quorum ſinguli quinis fimbriatis foliolis candidis contexti, apices tamen luteolos poſſident.

Flores.

An Lobel. in Icon. Plant. p. 222. Reſeda Plinii Neotericorum? Fuchſius Seſamoides maius ſatiuum vocabat: Reſedam candidam Dalechampius: Reſedam 2. ſiue albam C. Bauh. phyt. vbi reperiri narrat foliis ſimplicioribus, & in vnoquoque pediculo. An Tabern. in Icon. & Hiſt. Reſeda tenuifolia, Eruca Cantabrica, Spaniſcher Raucken?

An Reſeda Plinii Neoter. Lobel.

Locus & Tempus.

Menſe Iulio Baſileæ in horto D. Iac Zvvingeri florebat, & ſemine deciduo ſe propagabat. Ego colui Montbelgardi in horto Illuſtr. E.C. ſed plerumque periit, ſemine ad maturitatem non perueniente.

CHELIDONIVM M.NVS VETERIBVS, & in genere.

Cap. CVIII.

Deſcriptio. Tritic. ſilu.

CHelidonia igitur minor, quã ſilueſtre Triticum πυρὸν ἄγριον. [Ald. πύρινον.] aliqui nũcuparũt, ex Dioſcoridis authoritate, herbula eſt pediculis ab radice pendens, ſine caule, *foliis* hederæ figurâ, ſed multò rotundioribus ac minoribus, mollibus & ſubpinguibus circumdata. *Radices* habet ex eodem callo complures, puſillas, in granorum tritici modum aceruatim congeſtas, quarum tamen tres quatuórve in longitudinem protenduntur. Cæterùm, iuxta aquas paluſtriáque loca naſcitur. Vim acrem obtinet, & Anemones modo [Limonii modo, alius] ſummam cutem exulcerat: pſoras item & ſcabros vngues eximit. Succus verò radicibus expreſſus, addito melle ad purgandum caput naribus vtiliter infunditur. Similiter & huius decoctum cum melgargarizatum, ſtrenuè caput, cunctáque pectoris vitia purgat.

Locus, Vires.

Chelidonium paruum maiore acrius Aëtius tradit. Et hinc in cataplaſmate impoſitum cutem exulcerare ait, & vngues leproſos exterere: ſuccum eius per nares fortiter purgare: eſſe enim quarti ordinis calefacientium ac ſiccantium. Vbi porrò in frigida hepatis intemperie, calefacientibus, ac firmitatem addentibus vtendum eſt, Capnium, quam & Chelidonium herbam circa ſepes enatam appellat, probat.

Aëtius.

Luxatam autem eſſe Plinii lectionem (in Chelidonia minore) quis facilè deprehẽdet, cùm maiori Chelidoniæ reddatur colos albicans, flos luteus: minori folia Hederę, rotũdiora, minùs candida, ſuccus Croci, mordax, ſemen Papaueris: cũ hæc duo poſtrema de maiore tradantur à Dioſcoride. Namque minor acrem poſſidet ſuccum, non tamen vllo pacto luteum, nec Papaueris ſemen, imò florem putat Ruellius ſine ſemine proferre, radicibus potiùs quàm ſemine naſci. Sic

Plinii lectio luxata.

ergo in ſedem reſtituetur luxata pars : Maiori colos albicans, flos luteus, ſuccus Croci mordax, ſemen Papaueris, niſi quis ea quæ breuiter de minori Chelidonio ſcribuntur, parentheſi cenſeat interiecta.

Plinius notatur. Plinius [inquit Corn.] Chelidonio minori ſuccum & ſemen attribuit, quæ Dioſcorides maiori adſcripſit. Quin & tota Chelidonii parui deſcriptio conuenire videtur herbæ, quam officinæ hodie Scrophulariam vocant. Noſtri varia indunt nomina. Nam & feigwartzenkraut, i.e. Herbam hæmorrhoidum vocant, & Scharlachkraut, & Pfaffenhödlein, Bibernödlein, h.e. Caſtoris teſtes vocãt, à radicum ſimilitudine. At verò quod herbulam pediculis abſolutam reddidi, in græcis legitur ῥοτάνιον ἐξὶν ἐκ μόχων ἀπαρτισμένον. Significat autẽ ἀπαρτίζω, abſoluo, perficio, ita vt tota herba ferè ex pediculis conſtet, quum nullum caulem habeat, quod ipſum voce ἀπαρτισμένος ſignificatur. Geranium Robertianum dici de Chelidonio minore, infrà patebit. Sed & de Geranio Batrachoide habetur.

SCROPHVLARIA MINOR, SIVE Chelidonium minus vulgò dictum. CAP. CIX.

Deſcriptio.

Chelidoniũ minus, plãtula eſt vt plurimũ palmaris, aliàs paullò maior, minórve, quæ teſte Trago quotannis nouâ *radice*, *foliis*, & *flore*, ſicut Satyriones & *Aron*, reuiuiſcit, ea nobis inſipida eſt, partim bulbulis aliquot, modò pyriformibus, modò longis, ferè teretibus, aut ventrioſis, vtrinq; acutis, modò rotundis: Trago, toroſæ ſunt, ac inſtar grani Hordei olongæ, plerumquè ternæ, aut quaternæ, aceruatim multis capillamentis, quibus humi hærent, fibratæ: foris pallidis, intùs albis, partim fibris multis candicantibus, conſtantes: vnde exſurgit *coliculus*, ſecundùm terram albicans, ſupernè dilutè purpuraſcens, circa medium ferè aut paullò inferiùs, geniculo donatus, ex quo oriuntur *folia* bina, oppoſita, longis pediculis, ex lato principio coloris carnei, ſenſim in anguſtum vireſcens deſinentibus, aliquatenus hederacea, ſed molliora, minora, rotundioráque, nerueſa, glabra, ſplendentia (ſicuti & bina illa, quę ſtatim à radice exoriuntur) indidemque ex alis foliola minora, magis anguloſa, ſimili colore & ſplendore nitentia, Trago herbaceo, viridique colore conſpicua, reliqui caulis folia profundiùs inciſa, Hederæ helicis repentis foliis proxima, alterno, plerumquè ſitu, breuioribus pedicellis virentibus appenſa: ſummo faſtigio inſidet *flos* vnus, Ranunculi æmulus, ex octo aut nouem foliolis aureo fulgore radiantibus, vnguibus chloris cõpoſitus, in medio habens ſtaminula multa crocea ex tenui lateſcentia, auerſâ parte ſulcata: ſuccedit *capitulum* Ranunculi echinatum, ex viridi luteolum, *ſemine* ſtipatum: Dodon. capitulum veluti Ranunculi, exiguum, ex ſeminibus cõgeſtum, verùm minus. Floris & foliorum ſapor herbaceus.

Chelidonium minus à nullis oſtenſum eſſe ſuo tempore vel Herbariis, vel Medicis, demiratus eſt Ruellius, præſertim cùm nulla verno tempore frequentior occurrat, præcipuè Hirundinũ aduentu. Demiratus eſt, quòd longè diſſidenti nomine, (proprio ignorato) officinę Scrofulariã, quòd multis granorum frumenti grumis radix coaluiſſe videatur, vocauerint, putantes inditam fuiſſe appellationem, quòd ſtrumis [quas vocant græcâ imitatione, non latinâ ſcrofulas] medeatur: Nou audiendos eſſe Arabicę factionis authores teſtatur, qui Glaucium putant eſſe, quod ipſi Memithen vocant. Si quidem horum error apertior ſit, quàm vt refutari deſideret.

Cordus in Dioſc. eãdem cum Amello Virgilii Geor. 4. deſcripto facit, ac aurei ſplendoris flore, & foliis purpureis maculis, quas Dioſcorides deſcripſit, inſignito. *Amellus Virgilii.*

Fuchſ. Chelidonium ideo hanc herbam vocatã eſſe pronunciat, quòd, vt habet Theoph. l. 7. c. 14. hirundinum aduentu florem excitet. Videtur ipſi Diſcoridis delineatio Chelidonii minoris herbæ huic, quam Scrofulariam minorem vulgò nominant, prorſus conuenire. Deſcriptioni ſubſcribere ait locum, tempus, vires, & alia, quæ ſingula ad amuſſim quadrant, vt nemo hanc Chelidonium minus eſſe, inficias ire, ſine magna impudentia, poſſit. *Chelid. minus Dioſ.*

Dioſcoridi autem χελιδόνιον μικρὸν dici teſtatur quoque, licèt non deſint qui exiguum quoddam Scrophulariæ genus eſſe ſtatuant. *Scrophularia grana.*

Omnes ferè rei herbariæ periti Chelidonium minus appellant. Hetruſcis eam vulgò vocari *Fauoſcello* putauerim (inquit Matth.) quòd Fabarum modo folia ſubpinguia proferat. Verùm an hæc ſit Chelidonium minus, cuius meminere Dioſcorides & Galenus, non parua videtur eſſe dubitatio: quòd nullam prorſus nec foliis, nec radicibus præ ſe ferat acrimoniam, cùm tamen acerrima & mordax eſſe deberet, longéque magis quàm Chelidonium maius: quandoquidem, Galeno teſte, Chelidonium minus cutem exulcerat, & excalfacit ordine quarto. Id quod ſatis manifeſtè oſtendere poſſet hanc non eſſe Chelidonium minus: niſi quis in hoc illud dixerit, quod de Aro ſcriptum reliquit Galenus lib. 2. de alim. facult. Nam facilè contingere poteſt, quòd quéadmodum Arum Cyrenis minimùm medicamentoſi, minimúmque acrimoniæ poſſidet, adeò vt in cibis vel Rapis vilius habeatur: In Italia verò, ac minori Aſia contrà adeò acre, vt medicamentis dũtaxat expetatur: ita & Chelidoniũ minus, quod in Italia naſcitur, minimũ acrimoniæ ſortiatur: quod verò in Græcia prouenit, acre admodum ſentiatur. Siquidem, exceptâ acrimoniâ tantùm, noſtrati nihil præterea deeſſe videtur, quin legitimum Chelidonium minus dici queat. Ex quo facilè adductus ſum, vt credam, quòd quamuis in Italico deſideretur acrimonia; non tamen id eſſe Chelidonium minus diffitendum eſt: tametſi inficias ire non liceat, noſtrum

Chelidonium

Chelidonium minus, quòd omninò acrimoniæ sit expers, iis morbis haudquaquam conuenire posse, quibus illud conferre, quod in Græcia gignitur, tradiderunt Dioscorides & Galenus. Nam hac deficiente qualitate, necesse quidem est, vt & vires, quæ illam consequuntur, deficiant & pereant. Hinc igitur fit, vt non possim ego subscribere judicio Fuchsij, qui in lib. de compos. med. quem auctum secundò excudit, Chelidonium minus censet alteram Malacociſſi speciem. Quinimò eius opinio mihi refellenda videtur, quòd planta illa nullis ferè notis aliquam mollem Hederam referat. Ea quidem foliis Hederam quodammodò æmulatur, sed quod magis attendendum erat, viticulas nõ profert, quibus humi repit: id quod Hederæ cuique naturâ tributum est. Quidam nugator contendere nobiscum non erubuit hanc plantam non esse Chelidonium minus, sed Virgilij Amellum. Hucusque Matthiolus. Lobelius in Aduers. nimis morosos ait, qui Chelidonium minus ob ignauam acrimoniam rejiciunt.

Dioscoridis esse χελιδόνιον μικρὸν aut πύρον ἄγριον cõcludit etiam C. Bauh. licèt vires non respondeant. Hanc enim diuersitatem ratione soli obuenire, nostro judicio, non malè suspicatur. Plinij lib. 25. c. 13. Scrumean censeri refert, quo loco de Ranunculis agit. Huius folia aliquãdo purpureâ maculâ notari, flore esse luteo simplici, aliquando & pleno reperiri.

Synonyma cum nominibus linguarum.

Χελιδόνιον μικρὸν græcè dicitur, latinè Tragos Matthiol. Fuchs. Hist. Dod. Anguill. epist. 11. Cordo in Dioscor. & Hist. Gesn. hort. Turn. Lac. Lonic. Guilland. Lobel. in Adu. Obs. p. 323. Ic. Plant. p. 595. H. Lugd. p. 1048. [an eidẽ p. 1036. Ran. latifol.] Cast. Thal. Tabern. Ger & Eyst. *Chelidonium minus*: Casp. Bauhin. Plin. Chelidonia 2. siue [vt etiam in phyt.] rotundifolia minor: offic. Chelidonia minor, & Hirundinaria minor: Brunfels. Ficaria & Scrophularia minor, & secunda: Malacociſſus minor Fuchs. Icon. Testiculus sacerdotis Syluatico, *Fuagello* Cæsalp. Germ. feigwartzenkraut/ klein Scholkraut/ Schorbockskraut/ Erdgersten/ Blaternkraut/ Bibenhödlein/ Pfaffenhöd/ lein/ Schwalben wurtz/ feigblattern & Eppich/ Meyenkraut: Belg. Speenkruyt/ kleyn Gowe: Gall. *Eſclere, ou petit Baſſinet, & Couillons de preſtre*: It. *Fauoſcello, Coglie di prete*: Hispan. *Celidonia menor*: Angl. Pyle woorte/ or figworte: Celidony meuſſy: Arab. *Memiten & Chilodemon.*

Locus & Tempus.

Hirundinum aduentu floret, nec longo pòst tempore marcescit, sic vt irrigui limites, qui largo foliorum, florúmque stipatu pubescunt, confestim iis spoliati glabrescere videantur, quâ de causa Chelidonium, i.e. Hirundinariam dici, nullum est Ruellio dubium. Author est Tragus Martio mẽse prosilire, sub finem Februarij erumpere ad humectos vinearum & pratorum quorundam colles: Maio marcescentem euanescere, folia floréſque amittentem, radiculis interim vsque ad principia Februarij anni sequentis humi latitantibus. Marantha vidit ineunte Februario flores protulisse, licèt Dioscorides eam aduentu hirundinum [qui Martij discessu esse solet] exoriri scribat. Omnibus Italæ locis, verno duntaxat tempore, frequẽs gignitur. Matthiolo, vliginoso, præsertim Solo, & in scrobium fossarumque marginibus. Fuchsius in palustribus prope aquas & limitibus humidis, omnibúsq; vliginosis ac hortis passim gigni scripsit, Maio mense. Nascitur [inquit Dod.] in pratis, secus vias ac scrobes fossasque, locis riguis ac humentibus passim vulgare: circa Martij Calẽdas exit, paulò pòst floret, Aprili deficere incipit, Maio integrè perit, pòst difficile fuerit, vel radiculam eius reperire, nisi locus, vbi prouenit, particularis notetur. Monspelij & Lugduni floret Februario & Martio: Geneuæ quoque Aprili notatur.

Vires & Vsus.

Magnam præ se ferre acrimoniam, gustúmque acerbè vellicantem narrat Ruellius. Sed non existimo eum Chelidonium minus vnquam degustasse, nec obseruasse, quod subdit, argumento Galeni & sectatoris eius Pauli, pueros sæpiùs probasse, illitam celeriter cutim exulcerare. Sic quoque non placet Tragum in tradendis viribus non citare Dioscoridem, sed ex ipso non degustato suo minori Chelidonio, ei tribuere acrimoniam Ranunculi linguam vellicantis, quâ nostra planta destituitur. Acrimoniâ autem deficiente caput non videtur posse purgare nec humorem trahere. Naturam habet, inquit, calidam cum acrimonia coniunctam, quare linguam, vti Ranũculus, vellicat, solétque potiùs externis corporis partib. adhiberi, quàm intrò sumi. Herba Chelidonij minoris vnà cum radice in vino decocta, melle admixto, caput purgat, & glutinosos ac lẽtos humores trahit, gargarisata. Idem efficit succus radicis cum melle tritus & naribus inditus. Proinde herba ipsa, radice, succóque, puluere, & aqua distillata, in exterẽdis ficub⁹ marisc. ſve, magnâ vtilitate & experientia Medici nostræ ætatis vtuntur, nam impositu, & insperſu, mirificè ficos & mariscas sanant, herba, aqua distillata, & puluis. Alia huius plantæ juramenta & vires ex commemoratis animaduerti possunt. His addit Fuchsius: Chelidonium minus, Galeno teste, quarti ordinis absoluti est in calefaciendo & desiccando, ideóq; magnam præ se fert acrimoniam, gustum erodentem. Nostrum autem vsque adeò acre non est, vt commanducando sæpè nullam prorsus sentias acrimoniam potissimùm in eo quod in humido loco natum sit. In eo autem quod locis siccis prouenit senties & amaritudinem & acrimoniã, sensim tamen gustũ erodentem. Cæterùm, cum Matthiolo suprà citato loco statuimus & nos Chelidonium minus Italicum, quod omninò acrimoniæ sit expers, iis morbis haudquaquam conuenire posse quibus quod in Græcia gignitur tradiderunt Dioſc. & Galenus: calidis siquidem & siccis qualitatibus penitùs destituitur. Licèt autem etiam Turnerus non consulat vtendum hac pro Chelidonio minori Dioscoridis, ad ea vti tamen licebit, ad quæ recentiores experti sunt. Dodonæus quidem non videtur degustasse Scrophulariam minorem. Ranunculis enim potentia proximam esse scribit, ac posteriorem ætatem ad hæmorrhoides radicibus vnà cùm adhærentib. granulis vti, vt quæ huius succo cum vino aut laborantis vrina permixto sæpiùs ablutę contrahâtur, ac dolore sopito resiccentur. Lobelius vt refutet opinionem eorum qui Scrophulariam rejiciunt ob defectum acrimoniæ ignauum, tribuit in Aduers. acrimoniam, quinimò in Obs. acrius maiore ait. Sed hac parte sibi contrarius nobis videtur, ei modò ignauam acrimoniam concedendo, modò verò acrius maiore Chelidonio tradendo.

Acrimonia nulla.

Solenander

Hæmorrhoides.

Ego adhuc adolescens, inquit Solenander, vidi Tarquinium Schnellenbergium Medicum Empiricum, omne vitium hæmorrhoidum curantem Chelidonio minore. Is secretè herbam integram, siccatam, in manipulos collectam, inje-

ctamque cereuisiæ macerabat, eamque propinabat. Et aquam eius exstillatam, adhibebat lotione & fotu exteriùs per linimenta. Postea illâ herba ego multis modis ad hunc affectum feliciter vsus sum. Succus frequenter illitus expeditiùs id facit, quã aqua. Herba tusa apposita medetur. Noui, qui sanarunt, quos nimium profluuium ferè confecerat, vt hydropis periculum adesse videretur, exhibitâ huius herbæ aquâ destillata: sed quia acris est admodum, libentiùs vtor herba ista, vt antè dixi, cereuisia, vel etiam vino suo loco, macerata. In pila tusæ radices incoquuntur oleo, eiusque est adtumentes & dolentes hæmorrhoides vsus. Flores quidam, alij herbam commiscent oui vitello, coquunt, & in placentula manè edunt. *Huic herbæ ego ad hæmorrhoidum vitium mirabilem efficaciam tribuo.* Nam naturæ characterem in radice, cum exuberantibus hæmorrhoidibus habet. Sed illud diligentiùs examinabunt periti, quomodo verisimile sit, aquam Chelidonij minoris acrem admodum esse, quandoquidem hæc planta, teste Matthiolo omninò acrimoniæ expers sit.

CHAMÆLEVCE ET CHAMÆPEVCE ex veteribus.

Cap. CXI.

Diuersitas sinionum de hoc capite.

MAlè & infeliciter cum Chamæleuces plantæ historia ex multo tẽpore actum est. Vix enim è græcis Dioscoridis codicibus duo saltem concordes reperiuntur. Nam Chamæleucen alius tractandam in hoc capite proponit: alius pro ea Chamæpeucen habet: in aliis nullum est hoc caput: in quibusdam cum Bugloſſo miscetur. Et præter id alij breuissimè rem in hunc modum absoluunt: Chamæpeuce [χαμαιπέλκη: alij χαμαιλέκη] lumborum doloribus propitia est, si trita exaqua bibatur. Qui longiùs eius historiam referunt, ista quæ sequuntur ad finem vsque ex Ald. codicis nothis cum Sarraceno adjiciunt. Est autem herba tota viridis, herbaceive coloris, foliolis, ramulisque incuruis, floribus rosaceis.

Plin. inter Chamæleucen & Chamæpeucen distinguit.

Galenus & Paulus χαμαιλέκη itidem mentionem faciunt. At Plinius seorsim Chamæleuces & Chamæpeuces meminit: & Chamæpeucæ quidem eadem tribuit, quæ Dioscorides Chamæleucæ. Chamæleucen verò eam esse tradit, quæ alio nomine Farranum seu Farfugium, aliàs Bechion nominetur: vel reuera & inter Bechij synonyma in Dioscoridis nothis vox illa reperitur.

Porrò, quid in tam confuso intellectu, & rei inconstantia reddendum esset, Marcellus diu dubitauit: Accessit tandem anxio Plinius, monuitque in ancipiti Chamæpeucen potiùs legendum esse, quàm Chamæleucen: quoniam quod Dioscorides ait ποιεῖ πρὸς ὀσφύος ἀλγήματα, ἐν ὑδαλιλεία πινόμενη, Plinius dixerit lumborum & spinæ doloribus propria est, eodem rei sensu & verborum ductu. Verisimiléque est ex his quæ Plinius eadem Dioscoridi reddidit, hunc Chamæpeucen legisse, & hanc fuisse eius ætate capitis huius lectionem. Chamæleuces enim aliæ vires & alia remedia sunt, descripsitque Plinius Chamæpeucen Laricis folio. Suspendit animo Marcellum tamen Ægineta & Aëtius, qui, nullibi tractatâ Chamæpeuce, Chamæleucen describunt. Vnde fit, ne pro comperto constituere aliquid audeat. Multis enim, iisdemque magnis indiciis & auctoribus pugnatur, isque in tanta varietate id elegit, quo Latini scriptoris, deficiente Græcorum, auctoritate se tueretur. Non videtur autem ipsi esse integrum hoc Dioscoridis caput. Chamæpeucen autem potiùs, quàm Chamæleucen, Valerij Cordi exemplo quoque legendum existimat, vt qui ita in emendationibus quibusdam Dioscoridis codicibus scriptum reperisse se asserit. Huc & illud accedit, quòd cùm herbam hanc Dioscorides ὁλόχλωρον esse profiteatur, ei minùs aptè conuenit χαμαιλέκης appellatio: quippe quæ indubitanter humilem Populum designet: Populi verò albæ folia altrinsecus incanâ lanugine vestiri, nedum ὁλόχλωρα conspici, vnicuique constet. *Dioſc. emendandus.*

Quæ Plinius de Chamæleuce scripsit, ea Hist. Lugd. de Chamæleuce Dioscoridis intelligi posse haud censet, sed potiùs secundùm alios, quæ is de Chamæpeuce scripsit, ad Dioscoridis Chamæleucen pertinere contendit. Sunt tamen qui breuem apud Dioscoridẽ Chamæleuces descriptionem in totum rejiciendam sentiunt, & Galeni Chamæleucen diuersam à Bechio statuunt. Quidam enim esse Bechion (inquit Plin. lib. 26. c. 6.) & alio nomine Chamæleucen putant, &c.

Amatus de Chamæleuce scribens, ait Latinè dici Chamæpeucen: promiscuè legi caput hoc de Chamæleuce, vel Chamæpeuce, Plinium tamẽ vt differentium meminisse. Sed quæro ex Amato [inquit Turn.] ex quo veteri scriptore, legatur caput hoc de Chamæleuce, promiscuè de Chamæleuce & Chamæpeuce? Quod si nullus veterum id facit, quis tandem ex recentioribus ita legit, qui Plinio non debeat cedere, Chamæleucen & Chamæpeucen distinguenti: &c. *Turn. contra Amatum.*

Nunc reliquum est, vt Chamæleuces & Chamæpeuces æquiuocationes inquiramus. Chamæleuce igitur Cordo eadem est herba cum Bechio, id est, Tussilagine. Chamæleuce etiam dicitur Petasites, Cæsalpino. Caltha palustris, Turnero. Hedera terrest. Trago. Rosm. siluestre, Cordo. Anthirrhinum, Cæsalpino. Pinus Mugho, Dodonæo. Camphor. Monspelienſium, Lobelio in Aduers. Muscus terrestris, sed perperàm Cordo. Chamæpitys. Rosmar. silu. Gesnero. Erica altera Matth. Asparag. marinus Clusio. *Æquiuoca.*

CALTHA PALVSTRIS.

Cap. CXII.

Descriptio.

MInori Chelidoniæ similis, per omnia tamen maior, minùs rubent huius coliculi: *folia* item profundiore circa pediculum sinu constant, & purpureis maculis carent; est etiam alia differentia, quòd minoris Chelidoniæ coliculi sine ramulis nascantur: hoc verò circa singula in coliculo folia binos emittit ramulos, cùm in mi-

nore

nore Chelidonia bina semper folia singulares coliculos vestiant. *Flores* in summitatibus singulorum coliculorum singulos producit luteos, paucioribus tamen, rotundioribus, multoque maioribus foliis, quàm illius, constantes: in quorum medio stamina eiusdem coloris visuntur: *radices* verò subsunt minori Chelidoniæ dissimiles, Hellebori radici cum fibris similes, foris nigræ, intus candidæ, longæ, graciles & insipidæ: *folia*, floréq; que similem minori Chelidonio saporem habent: *capitulum feminum* est echinatum.

Synon. Valerius Cordus, descriptionis author Chelidoniam palustrem nominat. Sed Tragus Caltham vocari posse putat, cuius in Alexi meminit Virgilius. Lonic. ait græcè vocari Chrysanthemum, sed toto cœlo aberrat: Dioscoridis Chrysanthemi descriptioni minimè respondet. Gesn. hort. refert aliquos Ferrariam vocare, fortè quòd folium ferream equi soleam videatur referre.

Epimedium nunc. De Caltha palustri hæc Dodonæus scribit: Flores huic rarò, vel nunquam apparent, quamobrē Epimedium esse aliquando visum fuit, sed temerè. Non est autem Chamæleuce aut Tussilaginis species aliqua. Ineptè quoq; Farfugium & Farranum habetur. Chamæleuce siquidem, quam à Plinio Farfugium ac Farranū dici perhibetur, à similitudine foliorum λεύκης, i.e. Populi albę, appellationem accepit. Virent autem Leuces folia superiùs quidem, at inferiùs tenui candidaq; lanugine incanescunt. Calthæ verò huius neutrâ inalbescunt parte: nec formâ eorum respondet. Hęc ille, qui Calthæ palustris, & alteram effigiem dedit, sc. absque flore in aquis prouenientis.

Humilis incana non est, Lob. Caltha palustris recentiorum (inquit Lob. in Adu.) non est Chamęleuce Plinij folio Populi, siue humilis incana. Est Dotterbloemen Belgarum, & Farfugum Recentiorum quam Cas. Bassus ex Geoponicis Malacocyssam maiorem vocat, & Matthiolus ex suo cerebro Tussilaginem alteram facit, coniecturas triuiales, & descriptionem ex Dodonæo, & aliis recentioribus scriptoribus emendicatam, inculcando, suppressis nominibus, & mutatis classibus, quasi scopas dissolutas: hæc enim multò magis Chelidonium ipso toto vultu præfert, nisi quòd vniuersa maior: Flores neutiquam papposi, quinimò diu admodum & particula im floret, aureis Ranunculi, aut Chelidonij minoris floribus: neq; folia ortu, vt Tussilago, anteuertunt, & Nymphææ luteæ colore, vel Chelidonij minoris nitore fulgent, & similes sunt adeò, vt in Angliæ vdis, vbi vberrima, sæpè pro Nymphæa minore Pharmacopœi & Clinicæ mulierculæ mihi attulerint, & ostentarint. Folia non subtus incana, non angulosa, non caulis tomentosus, sed potiùs atro virore polito, vti Asari, Nymphæa. Radix fibrata quidem capillamentis, acris gustu est, sed moderatè. Nunc si Nymphæa inde sit dicta, quia Lymphis, Nymphísve est conuictrix & accola, potuerunt Serapione antiquiores Caltham palustrem dictam Nymphææ congenerem fecisse: natales quippe, folia, & flores affinitate haud vulgari, etiamnum persuadent idem quibusdam pharmacopœis, qui nostris medicamentis non semel subdiderunt hanc, illarum [Nymphææ vtriusque] loco, vocabantque Nymphæam luteam. Quin ni mihi forent notæ Nymphææ, certè hanc legitimam Nyphæam agnoscerem, quoties potiores vel rationes, vel plantæ accommodatiores me deficerent. Et hæc Lobelius. *Et alibi*: Chamæleuce siue Populus pumila quænam sit, vix nisi de nomine coniectari licet, adeò ignotis notis prodidit eam Dioscorides: &c.

Contrà, plantam hanc circa riuos aquarum & vliginosis pratis nascentem, quam Clus. Caltham palustrem vulgarem, & nonnulli ū Chelidonium aquaticum nominat, Anguillara Opinionū lib. 12. Chamæleucen Plin. esse existimat, iisdemq; adhuc nominibus cognitam dicit Patauino agro, quibus Plinius eam donat, nempe Frani [Plin. Farrani] & Farfugij, cuius opinioni Matthiolus assentitur, assentiuntur & alij.

Apud H. Lugd. p. 1049. Caltha palustris describitur: verùm repetitur descriptio aliquibus mutatis sub altera Tussilagine Matthioli p. 1052. Sed nulla apponitur figura. Meminit eadem Calthæ palustris p. 1013. sub alia Nenupharum specie Serapionis. *Hist. Lugd. notatur.*

Hier. Brunsch. in edit. anni 1550. ineptam figuram ponit, Seeblumen, h.e. Nymphææ nomine. *Brunsch. inepta figura.*

Marē & fœminā facit Gesn. de coll. stirp. ramulis rubētioribus flore magis tincto: *Fœminā* minorē albioribus ramulis, & flore min° tincto, tradēs. *Mas & fœmina.*

Tabern. & Gerard. maiorē & minorem agnoscunt. Et hinc apud Tabern. nomine Populaginis maioris & minoris duę sunt figuræ, apud Ger. verò nomine Calthæ palustris maioris & minoris. *Maior & minor.*

C. Bauh. phyt. (vbi priuatim Chamæleucen Plin. vocat; item quorundam Caltham Pœtarū, & Boutomon Constantini.) & Plin. [vbi Chamęleucen Anguill. & Turneri statuit, Epimedium Dodonæi, Thal. & Amellum Virgilij putarunt eiusdem appellat, & Farfugium Cast.) dicitur Caltha 9. siue palustris flore simplici. *Boutomon Constant.*

Germ. nuncupatur Dotterblum, Flos vitellinus, Goel wisenblum, Flos prat. luteus, Moßblū, Flos pratensis aureus, Schmaltzblum, Flos butyri, Dratblum, & Geel Weyenblum, luteus Maij flos. Nomina german.

Humidis palustrib. locis, veluti riguis pratis gaudet: subinde ab ipsis aquis exit: cuius folia supereminentia longioribus, nituntur pediculis, quæ alias breuioribus insistūt. flores huic ratò, vel nūquā apparent. Illa vnà cum Ranunculis Vere floret, & seriùs, subinde quoq; Æstate: toto autem anno ipsa viret herba. Lugduni obseruaui florentem Martio, Geneuæ Aprili, & Maio siliquas ferentē: item prope vasserfal florentem Augusto. Locus & Tempus.

CALTHA PALVSTRIS FLORE multiplicato.

Multa habet *folia*, circinatæ fetè rotunditatis, succulenta, venosa, in ambitu nonnihil, vulgaris foliorum instar, serrata: prodeunt inter illa palmares *caules*, interdum etiā [si vdo, pinguique Solo nascatur] pedales & maiores, obliqui, in aliquot alas diuisi, quæ vt plurimùm, vulgaris more, ex amplexu geniculo binos pro- Descriptio.

ferunt *flores*, vncialibus petiolis innitentes, multiplici foliorum textura constantes, coloris planè aurei, quorum quina inferiora, reliqua veluti sustinentia, & amplectentia, maiuscula sunt: *radix* non minùs quàm vulgaris, multis candidis, crassiusculisque fibris prædita est, authore Clusio, in Hist. post.

Synon. Autori & Camer. dicitur Caltha palustris flore pleno: Ges. hort. Caltha palustris floribus densis. Eid. de coll. stirp, Chamæleuce Ruellij hortensis, florum foliis multiplicibus: Populago multiflora T. bern. Caltha palust. multiplex Ger. flore multiplici Eyst. C. Bauh. pin. Caltha 10. [9. in phyt.] siue palustris fl. pleno.

Locus. In Anglia sponte & plenis & odoratis floribus reperitur, Camerario authore. Ex Saltzburgensibus pratis (in quibus copiosè nascitur) primùm Viennam Austriæ delata: Nobilibus Matronis cœpit esse in delitiis, cùm istic viueret Clusius: postea etiam ex Augusta Vindelicorum accersita: verùm non adeò elegans vt prima, sed paulò humilior: eius item folia minùs vegeta, & quasi pallescentia: flos etiam dilutior, & magis pallens. Augustanæ ferè similes plantæ, paucæ tamen, inuentę sut in pratis quibusdam vliginosis, Francofurto ad Mœnum vicinis, anno 1591. flore quidē pleno, sed rarioribus foliis constante, quæ in hortū illatæ, sequente anno, simplici florum textura præditos tulerūt flores, instar vulgaris: sic quam Lugdunum Batauorum detulit, vt istic etiam obseruare liceret, simplicem florem semper præbuit. Nobis Montbelgardi in horto floret Vere & Autumno.

GERANIVM IN GENERE EX VETERIBVS & Neotericis.

CAP. CXIII.

Gerania duo Dioſc. DVas Geranij species describit Dioscorides. Geranium, inquit, folium habet Anemonæ simile, incisuris diuisum, at longius: radicem subrotundam (ἱπποσφόν δι: Orib. σφονδύλιον.) dulcē & esui aptam. Hæc drachmæ pondere in vino pota, veteri it. flationes discutit. Vocatur & à nōnullis alterum Geranium, habens cauliculos tenues, lanuginosos, duorum palmorum altitudine: folia verò Maluæ similia, & in summis alis quasdam sursum spectantes eminentias, veluti gruum capita cum suis rostris, aut dentes caninos. Huius in re medica nullus est vsus.

Sunt autem qui prius Geranium Dioscoridis Pelonitin, qui Trican, qui Geranogerontem vocent. Aphri Iesce, Romani Echinastrum appellant: Posterius quidam Oxyphyllon, aliqui Mertiyga, nonnulli Mytrhida, pleriq; Cardamomon, aut Origanon vocant. Magi Hierobricas, Aphri Iec, Romani Pulmoniam, Cicutariam, & Gruinam herbam appellant.

Genera duo Plinio. Plinius duo quoque genera Geranij describit: Et primò vnum iuxta Latinorum quorundā traditionem. Deinde ambo iuxta Dioscoridem. Galenus in Simplicium censu Geranion omisit. Sed Paulus sequutus Dioscoridem, vtrumque Geranion commemorat, eadem quæ Dioscorides tribuendo.

Nomina linguarū. Commune harum & similium stirpium nomen græcum est γεράνιον, latinum Geranium. Appellatum autem est Geranium, à gruini capitis imagine, quæ summo eius plantæ capitulo inest, aptissimâ similitudine. Sic recentioribus à ciconiæ rostri effigie, Rostrum ciconiæ nominatum est. Germ. Storchen schnabel/ & Krannichschnabel: Belg. Oyenares beck: Gall. *Bec de Cigogne*: Ital. *Geranio*: Hisp. *Pico de cigouna*: Angl. Storckes bill: Boh. Czapinuseck: Hung. Daryn lab/h. e. Cornicis pes.

GERANII SPECIES VARIÆ.

CAP. CXIV.

GERANIVM MALVACEVM.

Descript. ALteri Geranio *folia* sunt Maluaceis magnitudine, colore & mollitie proxima, nōnihil oblonga, subhirsuta, in ambitu serrata, pediculis appensa, tres duásve vncias lōgis, interdum ferè dodrantalibus: *caules* ex eadem radice, solo lætiore & fimetis multi hirsuti, mediocriter crassi, dodrantē aut cubitū alti: è foliorum sinu pediculus exit duas trésve vncias longus, multifidus, cui *flores* insident multi cærulei, quinque foliolis constantes: quibus decidentibus rostra oriuntur vnciam aut sesquunciam longa. *Hæc* planta aliquando vixtrientalis est, foliis ouatis, crenatis & Betonicæ ferè similibus, qualé nos habemus in Herbario nostro sicco, lectam, ni fallimur, in agro Narbonensi.

Synonyma. Sub Geranio secundo, siue altero quibusdam dicto hoc intelligit Dioscorides, dum ei gruum rostra tribuit. Est Geranium foliis Maluæ paullò candidioribus Plinio.

Geranium foliis Malue Matth. in edit. comm. anno 1559. hoc intelligit, cùm ait: Geranij plantam vidi in pluribus hortis, ac viridariis satam, foliis rotundis secundi [Robertiani] Geranij modo per ambitum laciniatis, Maluam magnitudine æquantibus, fructu gruinis capitulis simili. Hanc Herbariorum nonnulli, Momordicam nuncupant, quemadmodum & Balsaminam alij eodem nomine vocant: eamque cæteris præferunt in potionibus ad interna vulnera glutinanda. Hæc, meâ quidem sententiâ, magis respondet alteri Dioscoridis Geranio, vt quæ foliis ad Maluam propiùs accedat. Quare & hanc magis eandem esse cum illo putauerim. Verùm tamen haud eam inficias, quin Pes columbinus dictus, idem sit Geranium: sed eum quis rectiùs fortè Geranium minus dixerit. Eadem repetit in comm. cum mag. fig. lat. & Italicis. *Sed non* existimo Matthiolo benè perspectum fuisse hoc Geranium. Siquidem modò Momordicam ab aliquibus appellari credit, modò verò, pro Geranio tertio, Veronâ à Calzolario missō, siue sexto depingit, & vtrobique describit. Quinimò mihi persuadeo, tertiò eam pro Malua altera à Calzolario Veronâ missa in lat. comm. cum mag. fig. sine descriptione tradi: in comm. verò Ital. pro qua ta: in Epit. pro hederacea siue montana.

Meminit

Amat. notatur.

Meminit huius Amatus sub secundi generis Geranij Plinij folio Maluæ altera specie, à multis Momordica dicta. Verùm non describit, nec se satis explicat. Apollo Rad. 10. p. 193. facit Geranij Dioscoridis secundi speciem primam, à quibusdam Momordicam veram nuncupatam. Lobel. in Ic. p. 662. & Obs. p. 378. Geranium Malacoides inscribit.

Geran. Malacoides Lobel.

Tabern. Ic. Geranium Mompeliacum siue Malvaceū, Lapei Schnabelkraut: Hist. Geran. 9. γεράνιον μαλαχοειδὲς. Geranio secundo Dioscoridis iungendum præcipit, quamuis à veteribus nō descriptum putet, qua in re multùm fallitur. Est enim ipsum Dioscoridis Geranium secundum.

Tabern. opinio reprobatur.

H. Lugd. notatur.

Geranium secundum aliud Matthioli describitur apud H. Lugd. p. 1176. linea vltima: at figura habetur p. 1280. sub Geranio sexto Matthioli, ex quo denuò describitur. Illud à vero alienum est, quod ibidem dicitur, Matthiolum Momordicam pro secundo Geranio pinxisse. Existimo huius nouam descriptionem & iconem Maluæ maioris tertiæ Matthioli inscriptione pag. 586. apud Hist. huius Geranij extare.

Gerar. reprob.

Gerard. cui Geranium Malacoides, spurium Creticum, Bastard Candie Cranes bill appellat? Dodonæo in fol. lat. dicitur Geranium, Matthiolo à Calceolario missum, ad Pedem columbinum referendum. Cast. Geran. Matthioli. Camer. hort. Geran. althæodes, Matthioli 6. vel vltimum, Cæsalp. Pedis columbini vulgò appellati tertia species foliis Althææ.

C. Bauh. not.

C. Bauhini Geranium 2. in Pyn. 9. apud Matthiol. 5. in Pin. folio Althææ, & Maluam 3. phyt. 5. siue montanam apud Matth. 4. in Pin. folio hederaceo, vnam non duas statuo plantas. *Nec separato* ab his eius in Pin. Geranium Maluæ fol. ō quartum, siue malacoides minus, quod 1. in ipsius Prodromo.

Locus & Tempus

In hortis Brabantiæ & German. colitur: floret mense Martio & Septembri. Monspelij abunde: item prope Florentiam & in montibus ad Arque.

GERANIVM FOLIO ROTVNDO, MVLtùm serrato, siue Columbinum.

Descript.

Vticulis multis, rubentibus, patū erectis, geniculatis donatur: *folia* Maluæ rotunda, nunc magis, nunc minùs incisa: *flores* quoque magnitudine variant, purpurei, quinq; foliolis aliorum more constantes: quibus acus succedunt Robertiani Geranij: *radix* tenuis, sed longa, rubescens, sapore adstringente.

Genus duplex.

Duplex est genus Thal. & C. Bauhino, maius

sc. & minus: maiori sunt caules maiores, & folia paulò molliora: minori omnia minora, & folia asperiora. Sic folia modò in profundiores, modò in breuiores & latas lacinias diuisa sunt: floris etiam magnitudine differunt: flore triplò maiore & cærulei elegantioris coloris ex horto Dei habuit Frater.

Synon.

Quem vulgò Eur. Cord. Ruell. Hermol. Tagault. Brunf. tom. 2. p. 290. (habet descriptionem Manlij) Fuchs. Corn. Trag Matth. Turn. Amat. Lonic. Lac. Cast. Cronemb. Apollo, Lob. in Adu. Obs. p. 376. Ic Plant. p. 658 Cæsalp. Tabern. Ger. Thal. Camer. hort. & Clusius *Pedem Columbinum* vocant, iidem omnes [excepto Eur. Cordo, qui Herbam Rupertianam malè quidem, & Gruinæ herbæ speciem cognominat, Brunfels. & Camerario, qui etiam Geranium Malvaceum siue Balsaminum appellat] Geranium alterum (γεράνιον ἕτερον) folio Maluæ Dioscoridis [& Plinij, addit Amat.] esse statuunt.

Gesn. hort. Geranij species folio Maluæ: Cronemb. Geranij altera species Fuchsij: Dod. Tabern. & Ger. (cui & Pulmonia, & Gruina) Geran. columbinum: C. Bauh. phyt. Geran. 1. siue fol. Maluæ, Eid. in Pin. Geran. Maluæ folio rotundo, primum. Matthiol. Histor. german. Geran. tertium.

Error quærundam.

Sunt qui [Serapionis interprete decepti] aberrantes, maximo errore Amomum (secundùm verò Tabern. Cardamomum) esse existimant, & in Amomi locum substituant, nullam de his historiam inquirentes.

Aliùs Brassau. ipsum.

Nec meliùs Barbarus Herbam Roberti nuncupat. Fallitur & Brassauolus asserens nullo modo iis esse assentiendū, qui Pedem columbinum vocatum, Geranium esse contendunt, quòd Geranium foliis exeat maioribus, Anemones incisuris. Sed is ignorasse videtur, quòd secundum Geranij genus, non autem primo generi à Dioscoride assignatum, est illud; quod Pes columbinus censetur. Vel fortasse dum hæc scriberet, alterum genus Geranij non animaduertit in Dioscoride.

Non est venenum contra Card.

Secundam hanc Geranij speciem, Pedem columbinum vocatam, venenum esse, Apolline rad. 10. teste, non sine lapsu tradidit Cardanus in lib. de malo medendi viu, pro columbino miluinum fortè, vel coruinum accipiens Ranunculi genus, exulcerans scilicet, & vesicas excitans, vel deceptus, quia in Geranij specie foliis Ranunculo similibus, in quinta specie, à Fuchsio numeratur secunda hæc minoribus foliis.

Nomina linguar.

Germ. taubenfuß, Pes columbæ, & schartenkraut: Belg. Duyuenvoet: Gall. *Pied de pigeon*: Ital. *Geranio colombino*: Cast. *Pico de cioguenna*: Portug. *Pico degruo*: Angl. Doues foote, or Crausbill: Poll. Gołopbia noga: Hung. Golya koróm: h.e. Ciconiæ vnguis, h.e. Storcken clauwe.

Locus & Tempus.

Floret tota fetè Æstate: prouenit secus vias, in agris incultis, in cœmeteriis, & hortis: quotannis se renouat semine deciduo: Hiemem enim non perfert.

Vires & Vsus.

Pedem columbinum præscribit Rondeletius inemetae ad Hydropem. Experientiâ constare ait Tabernamontanus. esse herbam valdè vulnerariam potionibus additam, aut etiam in puluere sumptam. Eidem vsui inseruire & aquam distillatam. Herbam vino vel aquâ decoctam, purgare vulnera. Idem præstare emplastris, balsamis & vnguentis quouis modo addicam. Fotu quoslibet articulorum dolores sedare.

GERANIVM TVBEROSVM MINIMVM.

Descript. EST *folio, flosculo,* & totâ facie vulgaris Maluacei, siue Balsamini, aut Pedis columbini, attamen multò minus: *radice* Auellanæ magnitudine, rotundâ, tuberosâ, nullis fibris, sed veluti acetabulis, aut osculis ex parietibus alimentum hauriens. Ex murorum rimis, in quibus nascitur, in hortum translatum, Geranium tuberosum minimum penitùs contabuit.

Synon. C. Bauh. phyt. Geranium 13. siue tuberosum minus folio maluaceo: Eid. Pyn. Geranium Anemones folio rotundo 16. siue Ger. tuberosum minus Camerarij.

GERANIVM GRVINALE, FOLIO tenuiter diuiso.

Descript. *Radice* nititur singulari, paruâ, intus foriſque rubente: *caules* admodum numerosi, plurimùm supini, dodrantales, interdum bicubitales, ramosi, sanguineo rubore perfusi, hirsuti, geniculati: *folia* Pedis columbini, rotunda, sed tenuiter dissecta, subhirsuta, & nonnihil subinde rubentia: *flores* Geranij Robertiani, paullò maiores, purpurei; folliculo laxiore, minusque rubente obsiti: *semina* rostrata, quàm Robertiano habitiora.

Cæsalp. Geranium 3. & Collum gruis, Frauenschnabel Germanorum Fuchs. Lonic. [cui & Gruina] Lac. Dodon. [cui & Gruinalis, & Geran. gruinale] Geran. quartum: Lobelio in Adv. ni fallor, Geran. Robertianum 2. siue Robertiana secunda: Camerario hort. Geran. supinum paruum siue vulgatius, & maius, non ita passim obuium & notum: H. Lugd. pag. 1278. Gruinalis Dodonæi: Casp. Bauh. phyt. Geran. 18. siue Robert. secundum: apud Matth. Geran. Robert. 2. Matth. 5. Tabern. violaceum: Eid. Pin. Geran. Anemones fol. rotundo 7. siue batrachoides, Collum gruis dictum. Sed Matthioli quintum non est gruinale, vt eo capite demonstratum: Geranium quoque violaceum Tabernæmontani esse non potest, si vel solùm figuram consideres, quæ eadem cum ipsius Geranio Rupertiano.

Locus & Tempus. Monspelij & Geneuæ obseruaui virens Februarij principio, Montbelgardi etiam in horto Ill. E. C. sponte florens Iulio & Augusto: circa fontem admirabilem in ducatu Wirtemb. sine caulibus Octobri.

GERANIVM ARGENTEVM montis Baldi.

Descript. GEranium argenteũ palmâ altius paulò: ex *radice* crassiuscula rubente, mediocris longitudinis *folia* exeunt longis ac trium quatuórve vnciarum pediculis hærentia, parua, & quæ pollicis articulo tegas, in quinq; lacinias præcipuas, singulas rursus diuisas, profundè ad vsque pediculum fissa, pilis infrà subtúsque albis, luculentibus vt in Heptaphyllo montano, lanuginosa, ad Geranij gruinalis formam accedentia: caulis tenuis, palmaris, in ramos abit, quorum singulis insidet *flos* purpureus, quantùm sicca demonstrat, in medio staminulis longiusculis, quem calyx excipit magnus foliaceus, è quo tandem emergit rostrum gruinum, vnciam plùs minùs longum: perennis herba est, vt ex reliquiis plurimorum foliorum veterum, quæ radicem quasi squammatam faciunt, colligere est.

C. Bauh. not. Hoc C. Bauh. in phyt. videtur intelligere per Geranium 8. siue argenteum, & cum Geranio saxatili Thalij & Camerarij, quod idem est cũ meo lucido, siue eius decimo, turpiter confundere. In Pin. vocat Geranium Anemones fol. rotundo 14. siue argenteum alpinum.

Locus & Tempus. Nascitur alpinis rupibus maioris montis Baldi (ex quo petitum, mihi Bechius misit) Orientem aspicientibus, ac ibi passim Floret initio Iulij, semen Kalendis Augusti perficitur. Perennis est planta. Radix amariuscula, ac quadam subadstrictione donata.

GERANIVM TVBEROSVM.

Descript. GEranium tubero ũ dictum, nomen inuenit à *radice* tuberosa, subliuida, insipida: cuius *folia*, semipalmari & palmari subhirsuto pediculo donata, lata sunt, diuisurâ octonâ, nouenáve ad ipsum vsque pediculum, singulis segmentis minutiùs dissectis, colore ex viridi canescente: *flores* in

res in petiolis teretibus ſubrubríſque ac hirſutis, pulchri, purpuraſcẽtes, ex quinque foliis in ſumma diuiſis aliquantùm, intenſiore purpura ſtriatis, & circa imum marginem nonnihil hirſutis, fibris purpurantibus: circumiecta autem ſunt flori quina itidem folia acuminata, intus nonnihil rubeſcentia, glabra, foris viteſcentia, & lanuginoſa. Floribus decidentibus ſuccedunt *roſtra*.

Synonyma.

Dioſcoridis eſt γεράνιον foliis Anemones, diuiſionibus longioribus, radice ſubrotunda, dulci. Plinij Geranium alterum Græcorum. Pauli Geranion folia habens Anemonæ ſimilia.

A Dioſcoride autem primo loco deſcriptum eſſe teſtatur inter alios Matthiolus, qui in prior. comm. pro Geranio 1. pingit, & in poſt. pro eo etiam deſcribit. Mirum proinde eum in Hiſt. germ. Geranium quintum ſtatuere.

Geran. 1. Dioſc.

Pro Geranio primo, ſcil. Dioſcoridis recipitur quoque ab Anguill. Lob. in Adu. & Obſ. Cam. hort. Tabern. Caſt. Gerardo, & Cæſalpino: cui & Pancaſeolus dicitur. Paneaſeolus, inquit is, vulgò appellatur in montibus nomine confecto ex pane & caſeo, quorum vicem in cibis explet radix: Geranium Dioſcorides vocat, & Plinius ſimiliter.

Geſn. hort. dicitur Geranium ſubrotundâ radice Dioſcoridis, ab Anguillara allatum. Lob. in Adu. Obſ. p. 337. Ic. Plant. p. 661. Geranium bulboſum. Cam. hort. Geran. tuberoſum maius, admodum viuax & copioſè ſe propagans. Gerardo Geran. tuberoſum. C. Bauh. phyt. Geran. 11. ſiue tuber. maius: Eid. Pin. Geran. Anemones folio rotundo nonum, ſiue tub. maius.

Synon.

H. Lugd. p. 1275. Geran. 1. Matthioli: Et p. 1276. Geranium tuberoſum Dodonæi. Vtraque figura eſt Geranij bulboſi: ſed prima id proponit, vt Matthiolus expreſſit: ſecunda Dodonæi, quæ melior, ſufficiebat.

H. Lugd. icones binæ.

Tabern. Ic. Geran. tuberoſum ſiue Illyricum, windiſch ſchnabelkraut/ &, Geran. bulboſum Matthioli, turckiſch ſchnabelkraut: Hiſt. Geran ſeptimum, Pelonitis: Geranogeron. Trica, Herba gruina, Echinaſtrum, Vchinaſtrum, Pulmonia, Roſtrum gruinum, Roſtrum ciconiæ, & Perimonia: Arab. *Geramon.* It. *Geranio, Aco de paſtori*, Hiſpan. *Bico de cigueñha*, Gall. *Becq de cicoigne.* Afric. *Jeſce*, Hũg. Varyulab/ Boh. Czapinuſck/ Angl. Storckes bill of Illiria/ Belg. knobelachtig Cranebeck/ Germã. Schlovoniſch Schnabelkraut/ Schlauoniſcher Storcheu ſchnabel windiſcher ſtorckenſchnabel: Item, Geranium decimum, primo Dioſcoridis annumerandum, γεράνιον βολβοῶδες, Geran. bulboſum, & rotundum à radice nũcupatum, Geran. Byzantinum, Geran. Turcicũ, German. Zwibel ſchnabelkraut/ Conſtantinopolitaniſcher Storcken ſchnabel/ & turckiſcher ſtorckenſchnabel/ quia primò Conſtantinopoli in Germaniam delatũ. Has duas non ſeparamus, quin potiùs eaſdem eſſe ſtatuimus.

Tabern. noſtrat.

Montbelgardi Solum commodè perfert, florens in horto Illuſt. E. C. Iunio & Iulio. Vires ex Veteribus lege antè.

Locus & Tempus.

GERANIVM ASPHODELI RADICE.

Deſcript.

Radicem habet ex multis paruis & longis bulbis conſtantem, verſus ſummum fibratam: *caulem* cubitalem geniculatum, juxta radicem & genicula patum rubentem: è ſingulis geniculis duo *folia* longiuſculis pediculis nitentia, in quinque præcipuas partes diſſecta, quarum ſingulæ in ambitu inæqualiter inciſæ ſunt: è ſingulis juncturis, juxta foliorum exortum quinque folia mucronata exoriuntur: *flores* in ſummis ramulis conjugatim paruis pediculis inſiſtentes roſei, ex quinque foliolis conſtantes, colore ex purpureo rubeſcentes, Geranij cæruleis floribus ſimiles, ſed paulò minores.

Cluſius deſcriptionis author facit in Pannon. p. 419. Geranium 3. in Hiſt. poſt 4. cognominatque Geran. bulboſum Pennæi. Dicit autem foliorum ſimilitudine ſecundum [Geran. Batrachoides aliud folio Aconiti nitente [referre. C. Bauh. in phyt. eſt Geran. 12. ſiue rad ce ex multis bulbis conſtante: Eidem in Pin. Geran. Anemones folio rotundo 11. ſiue radice grumosâ.

Synon.

In Dania prouenit agro Hafnienſi, vnde Turnerus Cluſio attulit & dono dedit.

Locus.

GERANIVM BATRACHOIDES.

Radix pollicari eſt craſſitudine, fortis rubra, intus buxea, multis fibris donata, ſapore vehementer adſtringente: *caules* cubitum aut ſeſquicubitum æquant, tenues, fungoſi, ſubhirſuti:

Deſcriptio.

flores ſpecioſi, magni, cærulei, quinque foliis purpura ſtriatis conſtant, in quorum medio apices atropurpurei: *folia* Aconiti, magna, rugoſa, profundè inciſa, & quaſi in orbem nonnũquam acta.

Camer. hort. & C. Bauh. duplex eſt: grandius floribus cæruleis, aut albis, & quidem eodem loco: minùs rubris.

Trag. vocat Geran. 4. ordine poſtremum, Sanguinariæ radicis ſpeciem: Corn. & Matthiol in poſt. comm. & Hiſt. germ. Geran. quartum: quintum Fuchſ. Lac. & Lonic. qui malè quoque Chelidonium minus appellat: ſextum Turn. Dod. gall. ac etiam cum lat. in fol. Geranium Batrachoides à Ranunculi ſimilitudine, vnde & vulgò Ranunculum cæruleum appellant. Lat. præterea & alterum Geran. batrachoides pingit, aliam Geranij Batrachoidis ſpeciem nuncupans & deſcribens.

Synon.

H. Lugd. p. 1280. & Caſt. Geranium 4. Matthioli: Gerardo Geranium batrachoides: Cluſ. in Pan. ſine icone pag. 419. Geran. batrach. primum, Geran. batrach. cæruleo flore Belgicum, Hiſt. poſt. Geran. 3. βατραχιοειδὲς maius. Thal. Geran. βατραχιοειδὲς Dodonæi fl. purpureo magno. Camerar. hort. Geran. batrachoides maius & minus. Lobel. Adu. Geran. batrachoides, ſiue magnum, cæruleum odoratum, Obſ. pag. 376. Geran. batr. ſiue gratia Dei, Ic. Pl. p. 659. gratia Dei Germanorum. Cronemb. gratia Dei, Geranij 5. ſpecies Fuchſij, Tabern. Ic. Geranium ſiue Batrachiũ cæruleum, blauw ſtorchenſchnabel. Hiſt. Geranium ſextũ, Ranunculus cæruleus, gratia Dei cærulea. Hoc

Plura Syn.

quamuis neque à Dioſcoride, neque ab aliis Græcis deſcribatur, tamen ad primum Dioſcoridis referri poſſe putat.

C.Bauh.phyt. Geran.3. ſiue (ceu etiam apud Matth. vbi figuram Geranij ſanguinei Tabern. aſſumpſit) Geran. batrachoides. Eidem in Pin. Geranium Anemones fol.rotundo 5.ſiue batrachoides, Ger. ſanguinarium Taberm. maius Eyſtett.

An Geran.alterum, Geran.maiori Aconiti folio ſimile Geſn.?

An Balſamina vulgò Cæſalp.?

Geneuæ quidem mihi florebat in horto menſe Maio ex proximis montibus allatum. In Belgicis hortis quoſdam aluiſſe etiam obſeruauit Cluſius: ac ſpontè prouenire variis in Germaniç, Bohemiæ, & Auſtriæ pratis.

GERANIVM BATRACHOIDES ALBVM & ex albo cum cæruleo colore varium.

Deſcript.

Foliis eſt ſimilib⁹ Batrachoidis vulgaris, aut certè vix notabili differentiâ variantibus, quorum pediculi cubitum longitudine excedunt. Tota planta lanugine quadam albicante obtecta. *Caules* ſunt bicubitales. *Flores* albi lineis cæruleis ſtriati, quidam etiam mediocærulæi, ſex foliolis conſtantes. *Calyx* hirſutus, quinque conſtat foliis, è quo, flore decidente, roſtrum emergit notabili hirſutie donatum, vnciam plùs minùs longum, deſinens in apicem tenuem, qui in extremitate per ſiccitatem in tenuiſſima quædam filamenta capreolorum inſtar contorquetur. Tandem diſſiliens roſtrum *ſemina* oſtendit quina, imis roſtri coſtis hærentia, & in folliculo membraneo contenta, oblonga, ſinuata, colore pullo, exteriùs viridi, ſapore dulci, grato. In foliis autem nullus ſapor effatu dignus.

Cerardus pro Geranio 2. Batrachoide albo aſſumpſit iconem à Tabern. propoſitam pro Geranio 13. ſiue ſanguineo, quod non diſplicet: figura enim Tabern. non conuenit cum ſanguinei deſcriptione. C.Bauh. Pin. vocat Geranium Anemones fol.rotundo 6. ſiue Batrachoides flore variegato, Anglicum variegatum Eyſtett.

Locus & Tempus

Ex ſemine Argentinæ collecto in horto Frid. Meieri prouenit nobis Montbelgardi: ſecundo anno floret & ſemine deciduo ſe propagat.

GERANIVM BATRACHOIDES ALIVD folio Anconiti nitente Cluſij.

Deſcriptio.

PRodeuntibus è *radice* frequentibus longóque pediculo nitentibus foliis præditum eſt,

Ranunculi platyphylli, aut Aconiti lycoctoni pallido *flore*, folio reſpondẽtibus ferè, rugoſis, ſubhirſutis, in aliquot profundas lacinias diuiſis, deinde in ambitu ſerratis, quæ guſtata initiò adſtringere, & linguam exſiccare, deinde nonnihil calfacere deprehenduntur: *caule* cubitali vt plurimùm, firmo, rotundo, geniculato, in multas alas diuiſo, quibus ſupernaſcuntur *folia* ſuperioribus minora, pauciorib⁹que laciniis diuiſa, perinde tamen in ambitu ſerrata: ſummi rami in oblongis pediculis *flores* geſtant quinque foliis conſtantes, Geranij batrachoidis quod in Belgicis hortis alitur, floribus formâ pares, paullò tamen minores, nec, vt illi, cæruleos, verùm ex purpura rubentes, decem ſtaminulis cum ſtilo ex vmbilico floris prodeuntibus: deinde oblonga, erectáque *roſtra*, non inflexa, aut inclinata, quinis vtriculis ad eorum baſim turgentibus, & *ſemen* continentibus, quod maturitate exilit, aliorum Geraniorum more: *radix* ſuperiori [Geranio phæo ſiue pullo flore] ferè reſpondet, & ſummâ tellure in plura craſſa, interneque rubentia capita, extuberat, quæ fibras etiam agentia, ſingulis annis augentur.

Author Cluſ. in Pannon. pag.417. & Hiſtor. poſt. deſcribit, Geranij batrachoidis alterius titulo: inſcribit verò ibi pag.418. Geranium ſecundum: hîc autem Geran, 2.βατραχιῶδες minus. Synon.

C.Bauh.phyt.Geran.6. ſiue batrachoides maximum, Batrachij ſpeciem tertiam Geſn.hort. & Geranium βατραχιῶδες alterum, vel montanum primum Cluſij videtur appellare. Cur autem maximum cognominat, cùm Cluſius minus eſſe ſcribat? Ei eſt in Pin. Geranium Anemones folio rotundo 1. ſiue batrachoides folio Aconiti, Geranij ſpecies tertia Geſn. hort. Geranij maioris ſpecies prima. Eid.app. Geran. batrachoides Gerardi. Variat, inquit, flore cæruleo, albo, lineis cæruleis variegato: eſt & flore cæruleo duplici, ſed duplò majore, & dicitur Geranium batrachoides cæruleum, & Geran. batrachoides flore albo, Eyſtett. C.Bauh.rin.

Creſcit in Pannonicis, Stiriaciſque Alpibus, nuſquam tamen abundantiùs, quàm ſupra Gamingam, in illo aſcenſu ex Herrenalben jugo ad ſublimes ſcopulos Durrenſtain, in quibus floret Iulio & Auguſto: in hortis autem Maio. Locus & Tempus.

GERANIVM

GERANIVM BATRACHOIDES. maximum minùs laciniatum, folio Aconiti.

Descriptio. EST ex cadē Batrachoidis Geranii familia aliud, eo majꝰ, *foliis* ad Aconiti lutei folia accedentibus, ea verò quinque laciniis incisa, iisq; latioribus, quàm in primo Batrachoide, & per extrema serrata, hirsuta: *caules* magni, hirsuti, geniculati, in ramos divaricati, in longos desinentes pediculos bifidos, qui sustinent magnos *flores* duos, ex purpureo rubentes, quos excipiunt *rostra* breuia.

Synonyma. De hoc ait Gesner. hort. Geranii tertia species ferè similis montanæ (i.e. Ischęmo) maioribus & latioribus foliis, quibus Aconitum luteum repręsentat, flore rubente. Item, Append. Geranii maioris species foliis magnis, figurâ ferè & magnitudine Aconiti lutei, hirsutis, asperis.

An Clus. Pannon. pag. 422. & Hist. post. Geranium ἀμυκτῶδες alterum?

Locus & Tempus. Nascitur in humidioribus pratis in quibus ferè Bistorta. In hortum Ill. E. C. Montb. ex monte Balon translatum diu durat.

GERANIVM BATRACHOIDES LONGIÙS radicatum, odoratum.

Descriptio. SPectabili *florum* amœnitate nulli Geranio cedit, qui ex calyce globoso, striato, rubente hirsutoque, odorati emicant purpuro-violacei, è quinque foliis compositi, surrecto staminum purpurascentium altiore cincinno, in *caulibus* geniculatis, dodrantalibus, cubito altioribus interdum, & hirsutis: *folia* diuisurâ quodammodò Saniculæ, ex virore incana, pilosa, odorem spirant non ingratum. *Radix* obliquè acta serpit, longa, minimi digiti crassitudine, fibris & geniculatis tuberibus donata, foris rubens, intus alba cum adstrictione valida, nescio quid aromatici gustui offerens.

Synon. Lobel. in Obs. p 376. Ic. Plant. p. 661. vocat Geranium Batrachoides alterum longiùs radicatum. Camer. hort. Geranium macrorhizon, Gallorum Banaticam, grauissimi odoris; Staticē quarundam, septem floribus roseis, ventrem sistentem à Plinio descriptam. H. Lugd. p. 1280. Geran. Batrach. alterum long. radicatum Lobelii. Casp. Bauh. phyt. Geran. 6. siue Batrachoides odoratū: Idem in Pin. Geran. Anemones folio rotundo 3. siue Batr. odoratum, Geran. montanum Gesn. coll. Geran. Batr. alterum Dod. Ger. macrorhizō. Eystett. Pedem columb. in siluis nascentem alterum Cæsalpini.

Locus & Tempus. Frater mihi retulit nomine Momordicæ ex horto Patauino. Obseruaui ego Stutgardiæ in horto Illust. Princ. vnde Montbelgardum in hortum Illustr. E. C. transtuli, in quo se crassâ suâ & repente radice multùm propbgat, ac diu perennat.

GERANIVM PHÆVM FLORE reflexo.

Descriptio. SPecioſum est apprimè hoc Geranii genus, *foliis* ampliorib. quàm Batrachoidis, in octo plùs minùs segmenta, angusta, sed lata, diuisa, subhirsuta, nigricantib. maculis aspersa, per ambitum latiusculis crenis cōspicua, nullo odore prædita. *Flos* summitatibus insidet purpureus & penè fuscus, satis magnus, accedens ad florem Geranii folio odorato, qui inuersè contorquetur atque reflectitur, in medio apices, floribus decidentibus *rostra* oriuntur vnciam longa.

Synon. Lobel. in Obs. pag. 377. Icon. Plant. p. 660. Geranium fuscum intitulat. Tabern. Ic. Geran. maculatū fleckenschnabelkraut. Hist. Geran. phyt. Geran. 9. siue montanum fuscum, Eidem in Pin. Geran. Anemones folio rotundo 8. siue montanum fuscum, Geran. mont. Dodon. Geran. fuscum Lobelii, Lugd. & Eystett.

Locus. Colitur in Germaniæ hortis, vt Frid. Meieri Argentinensis florens Maio, & Ill. C. Wirt. Stutgardiæ florens Iunio.

Geranium phæo siue pullo flore Clusii.

Descriptio. AVthor Clusius vocat in Pann. p. 415. Geranium montanum 1. siue Geran. φαιόν, aut pullo flore. Histor. post. Geran. 1. pullo flore, Geranium *folia* habens Lycoctono flore luteo non dissimilia.

C. Bauh. phyt. Geran. 5. siue Batrachoides hirsutū flore atrorubente, Geran. mont. 1. Clusii, Geranii maioris species secunda, Gesneri in Appendice.

Ego, vt verū fatear, facilè crediderim, Geraniū

phæum à nobis descriptum & Lobelii fuscum, ac hoc Clusii pullo flore, easdem plantas esse, aut saltem valdè similes. Hoc tamen diuersitatem forsitan demonstrat, aut naturæ lusum, quòd Clusius scribit florum folia laciniata esse, quod non demonstrat tamen icon. Neque nos florum foliorum lacinias vnquam obseruauimus. Si non in post. Hist. folia adhuc laciniata scripsisset, suspicaremur legendum esse folia reflexa, aut tale quid simile, & hac in parte errorem esse commissum.

Locus & Tempus. Inuenitur in Stiriæ Alpibus, vbi sylvæ desinere solent: & floret Iunio: in hortis verò, in quibus felicissimè prouenit & luxuriat, Maio.

GERANIVM MAGNVM FOLIO trifido.

Descriptio. ELegans Geranium, cuius aliquot *ramos* habemus cubitales, brachiatos, glabros, quibus *folia* per ramos ex dodrantali plùs minùs distantia, & non multò breuioribus pediculis, hærent tripartita, principio tamen quo pediculo hærent, vnciali latitudine integra, nonnihil hirsuta, per ambitum serrata, plurimis fibris se mutuò contingentibns & intersecantibus intertexta. Summa *flores* occupant purpurascentes.

A Doldio nobis missum est pro Geranio montano, neque descripto, neque depicto. An Pes columbinus in siluis nascens &c. Cæsalp.

Icon. Icon nostra desumpta est ex Clusii Geranio quinto nodoso I. Plateau, & ramo Geranii 6. tuberiferi eiusdem. Hæc enim duo Clusii Gerania vnum sunt, & à nostro non differunt.

C. Bauh. notatur. C. Bauh. in Pin. vocat Geranium Anemones fol. rotundo 12. Geranium nodosum, quęritq; an sit Geran. cęruleum Tabern. & Batrachoides Gerardi, sed frustra, concluserat enim antè eorum Geranium esse Geran. Anemones folio rot. primum, siue Batrachoides folio Aconiti.

GERANIVM SANGVINEVM SIVE hæmatodes crassâ radice.

Descriptio. CRassâ hæret *radice*, multis longis crassiusculis appendicibus auctâ, rubrâ, gustu admodum adstringente: *caules* emittit plures, cubitum altos, rubentes, hirsutos, geniculatos, in multas alas diuisos: ad singulas iuncturas bina nascuntur *folia*, circumscriptione rotunda, sed in quinque lacinias, trifidas plurimùm, profundè ad pediculum ferè diffecta, hirsuta, supernè virentia, subtus canescentia, sicco & adstringente sapore prædita: *flos* pediculis singularibus ex superiorum foliorum sinu pronatis vnicus insidet, Rosulæ æqualis, coloris purpurei, quinque magnis foliis constans pulchrè explicatis, quæ totidem nervosis, hirsutis, viridantibus foliolis subtus natis suffulciuntur, medium verò occupant stamina: *rostra* suboriuntur quinque thorulis seu granis firmata, quibus dissilientibus acus rostrorum reflectũtur.

Synonym. Trago hoc Geranium minimè ignotũ fuit, sed ab eo Geranium tertium vocatum, & Sanguinariæ radicis titulo pictum. Fuchs. Lonic. Lac. & Turnero dicitur Geran. sextum: Corn. & Dod. gall. quintum: Gesn. hort. Geranii altera species maior montana, & Ischęmon: Dod. gall. Camer. hort. Thal. H. Lugd. pag. 1279. & Clus. Pan. p. 421 [p. 419. quartum.] Geran. hæmatodes: Hist. post. Geran. 7. αἱματώδης. Lob. in Adv. pag. 296. Geranii Robertiani varietatem tertiam constituit.

Geran. sanguinar. Gerardo Geran. sanguinarium bloudiß Cranes bill. Cęterum Geranii sanguinarii titulo duę habentur apud Tabern. icones & descriptiones: posterior autem figura in Ic. p. 774. in Hist. part. 2. p. 449. meliùs placet priore, quæ in Ic. est pag. 61. in Hist. part. 1. p. 151. quam C. Bauh. apud Matthiolum meliùs Geranio 7. siue Batrachoidi accommodauit. Hic vocauit in phyt. Geran. 7. siue sanguineum maximo flore: In Pin. Geran. Anemones fol. rot. 4. sanguin. max. flore sanguinar. Eystett. Compilator porrò Tabernamontani imperitiam suam stirpium summam detegit, eandem herbam bis tradendo, etiam quidem vulgò notam. Geranium tandem hæmatodes, siue sanguineum dicitur tum à radicis sanguineo intus & foris colore, tum à mirifica eius in sistendo sanguine facultate.

Compilat. notatur.

Locus & Tempus. Tossanus Carolus anno 1590. mense Iulio mihi transmisit ex Champagnole Burgundiæ nomine Geranii alpini, inibi in iugis altissimorũ montium collectum. Monspelii floret Aprili: Geneuę Maio: Basileæ iuxta Leurach Iulio & Augusto. Nascitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ infra Onasum cæduis montanis siluis, editioribusque gramineis locis. Mons præterea arci Greben imminens vltra Drauum in Pannonia Interamni, totus ferè eo Geranii genere consitus, qua parte Occidentem spectat. Siluæ etiam Francofurto ad Mœnum vicinæ eo abundant. Floret Maio & plerumque totâ subsequente Æstate.

Vires Sclauonicæ mulieres huius decoctum ex profluente aqua, mirificè commendant in capitis grauedine, si synciput, vbi dolor est, eo abluatur, deinde herba decocta superimponatur: postremò, (quod superstitione non caret) in profluentem, vnde aqua hausta, abjiciatur. Ad sanguinem vndique manantem compescendum in primis commendatur.

GERANIVM

GERANIVM MOSCHATVM FOLIO AD Myrrhidem accedente maius & minus.

Geran. moschatum minus.

Descriptio. SVpinos plurimùm *caules* profert, eosq; plures, & satis crassos, nodosos, teretes, & pilis hirtos, per terram supinos: *folia* è geniculis vtrinque exeunt, palmum plùs minus longa, & pluribus foliolis ad costam rubescentem hirsutámque adnexis composita, quorum singularia ad Chamædrios folia accedunt, diuisura profundiore, sapore insuaui & subastringente: ex foliorum alis pediculi singulares oriuntur quadrantales & trientales, tenues, rigidi, villosi, rubentes, qui in pedicellos minores quatuor, quinque aut sex fissi, *flosculos* in vmbella gestant, Pedis columbini dicti Geranij ex cæruleo purpurascentes, quibus rostratum semen succedit: *radix* simplex crassiuscula, fibrata, alba, sapore eodem cum foliis.

Huic affinis & illa species, inuentu rarior, tota maior, odore Moschi, foliis non ita altè incisis, & nonnunquam tantùm serratis.

Geranion. Est Geranion quod aliqui Myrrhin, alij Merthryda apud Plinium appellant. Ruell. vocat Acum pastoris Herbariorum, suspicatúrque esse Geranium primum folio Anemones apud Dioscoridem & Plinium. An Cord· Hist. Geran. supinum majus?

Brunfels.tom.2.thapsi.11.pingit sub titulo Herbæ Roberti, vocátque Geran. Rostrum ciconiæ, Robertianam, Gratiam Dei. Quomodo autem describat, certò mihi non constat, nisi id faciat quarto loco.. De hoc Geranio pauca admodum Brunsch.in priore editione(vbi nulla figura)nomine Gratiæ Dei: in edit.autem anni 1550. eam pingit. Tragus Geranium primum [sc.Dioscor. facit,& pro minore pingit, sed pictura non multùm valet, Apollinaris Geraniorum genera non distinguit: pingit tamen, sed satis ineptè, Geranium quod Rostrum ciconiæ dicitur & moschatum.

Gratia Dei

Geran. Plin. Matth. Matth.non dubitandum existimat, quin Geranium Plinij, Myrrhis & Myrrhida dictum, illa sit herba quam quidam Rostrum tum gruis, tum ciconiæ appellant, quidam verò cum officinis Acum moschatam. Ruellium hallucinatum credit, quòd Acum moschatam dictam, quam ipse Herbariis etiam Acum pastoris appellari ait, primi generis Geranium Dioscoridis esse opinetur. Ex quibus patet eum in prior. comm. malè Geraniũ primum inscripsisse, ac propterea in post.meliùs Geranii tertii nomine pinxisse. Quin & Amatus, licèt huius figuram Geranii primi titulo exhibeat, falsò Ruellium primum Geranii genus apud Dioscoridem putasse refert.

Geranium primum vocant Cornar. Dodon.

gall.Turn.Lonic.Cast.Fuchs.& Lacuna. Anguill. verò ep.13.describit pro Herba moscata, Gruaria, Herba Ruberti & Acu muscata.

Crocum taxatus Cronemb. supra empl.Gratia Dei, deprehenditur contraria scribere. Nunc enim Ruellium ideò reprehendendum ait, quòd Rostrum gruis primam Dioscoridis speciem putarit: Nunc verò Geranium Dioscoridis primum, Roberti cognomine assignet. Per Ruberti autem herbam hoc ciconiæ Rostrum intelligit,& passim Acum moschatam vocari ait, quod ipsum haud placet.

Indicta Dioſc. Lob.indictam ait Dioscor. vocatq; Myrrhidam Plinii in Adu.Obs.p.376.Icon.Plant.p.658 vbi & Geranium moschatum. Item pag. 659. Myrrhida Plinii, & Rostrum ciconiæ inodorum, vulgatum. Cæsalp. Acum moscatam folio Pimpinellæ, & Pectinem Veneris Plinii. H. Lugd.p. 1277.Geranium tertium Plinii. Camer.hort.Geran. moschatum.

Tabern. Ic.p.57.vocat Geran.minus, Geran.aruense[ſcins ſtorckenſchnabel]alterum flore albo. Item, p.58.Geran.myrrhinum. Hist. Geran. 3.inodorũ, ein Schnabelkraut/Acker Schnabelkraut: Geran.4.aruense album: Geran.quintũ, Geranii primi speciem Dioscoridis, Geran.cicutarium, Rostrum gruinum, Gruinam, Gruariam. Herbam gruinam siue gruariam,& Acum pastoris similem præcedenti, maiorem, odoris grati. *Frustra* Tabern.ponit duas icones Geranii minoris quandoquidem solo colore differunt.

Gerar.Geran.moscatũ, Myrrhidam Plinii: Item Geran.moschatum inodorum, Plinii Myrrhidam inodoram, Vnſauorie muſke Craues bill. Et, Geran.inodorum albũ, white flowed Cinck neede. *Cur.* Ger. seperauit album à priore cæruleo purpurascente? cur quoque prius & posterius non reliquit vno & eodem capite?

Gerard.not.

C.Bauh.phyt.Geran.14.siue Cicutæ folio moschatum & primum Plinii: Item, Geran.15.siue Cicutę folio inodorum, Geran.supinũ maius Cordi: Et, Geran.16.siue Cicutæ folio supinum. Idem in Pin.Geran.Cicutæ fol.2.moschatun & inodorũ, Acum moschatam Columnę, Ger.σκανδικὸ φυλλὸν Thal. & moscatum Eystett. Item, Geran. Cicutæ folio 4.siue minus & supinum, Geran.7.siue gruinum Dod. moschatum inodorum Eystett. Flos communiter Bresilici coloris: aliquando albus est: hinc duæ figuræ apud Tabern.

Locus & Tempus. Geran.moschatum minus Monspelii obseruaui: Basileæ floret Octobri in itinere Moutensi: Geneuæ passim *au plain palais* virens mensis Februarii principio & Martio: Patauij florens medio Februario. Maius hortense est. Maius, inquit Tabern. solet prouenire in agris cultis, arenosis minus autem locis macris & arenosis, & ruderibus.

GERANIVM SPECIOSVM ANNVVM, longissimis rostris, Creticum.

Descriptio. LAtè terram obumbrat *ramulorum* hirsutorũ, nodosorũ cõgerie, *foliis* præditorum longis, hirsutis, nonnihil rubentibus, sinuosis & serratis, sapore acido & adstringente: *flores* cærulei amœni, quinquefolii, quos circumstant calycis dehiscentis folia quina, è striatis filis media membranula pellucida alba commissis composita: *acus* plusquam palmari longitudine ad basin crassiusculæ.

Vires & Vius. An Lobel.Obs.p.377.Geranium Creticum an-

nuum; Ic. Plant. Geran. Cret. annuum hæmatodes. Camer. hort. Geran. Creticum lõgiſſimis roſtris à Lobelio deſcriptum. Cluſ. Gerar. & Taber. Ic. Geraniũ Creticum: Tabern. Hiſt. Geran. 8. Candiacum, Veteribus indictum. Caſ. Bauh. phyt. Geran. 19. ſiue maximum latifolium longiſſima acu. Eidem in Pin. Geran. folio Cicutæ 7. ſiue latifol. longiſſ. acu. Nobis aliund e miſſum eſt titulo Herbæ Roberti Hiſpalenſis.

Locus & Tempus

Montbelgardi in horto Ill.E.C. floret Iulio & Auguſto, Septembri verò maturat ſemen: ſe ipſum ſeminat & Hiemem perfert. Mompeliano agro, Cluſio teſte, ſponte prouenit.

GERANIVM ROBERTIANVM murale.

Deſcriptio.

OBuium vbique in ruderibus Geranium Robertianum, *radice* tenui, colore buxeo: quæ *caules* ſurrigit dodrantales & cubitales, hirſutos, geniculatos, rubentes, maximè circa articulos & propter terram, ramoſos: *folia* partim à radice, partim ex geniculis, hirſuta, pediculo rubẽte hirſuto, Matricariæ ferè diuiſurâ, ſegmentis primariis duntaxat tribus, odore vbi teruntur Paſtinacæ, ſapore adſtringente, per oras aliquantùm rubentia, interdum tota: *flores* purpurei, dilutiore purpura ſtriati, foliis quinis conſtantes è calyce hyrſuto, atrorubente, quinquepartito emicant, apicibus in medio croceis: ſuccedunt *roſtra* mucronata *ſemen* appenſum habentia.

Flore candido Sideritis 3. Ruell.

Geranium Robertianum candidiſſimo flore in monte Waſſerfall non rarò occurrit.

Ruell. ni fallor, vocat Sideritidem tertiam: Dioſcoridis, & vulgò ait vocari Acum paſtoris. dicit eſſe Myrrhin Cicutæ foliis, & inde à nonnullis Cicutariam dici. Tragus pro altero Chelidonii genere deſcribit, ac Gratiæ Dei titulo pingit: Eorum autem opinionẽ planè improbat qui Pedem columbinum vocatam hanc plantam velint: Chelidonium minus eſſe ſtatuens: Eius autem opinionem reprehendit Cronemburgius, cuius verba paulò pòſt adſcribemus.

Matth. nou. Apud Matth. Figura in priorib. comm. ſub Geranii alterius inſcriptione deſignans Geranium, Robertianũ, melior eſt, deterior in poſt. comm. tituli etiam diuerſi: deſcriptio nulla bona: Camerarius pro ea ponit Geranii Robertiani nouam imaginem: C. Bauh. pro tertio pingit Geran. Robertianũ ex Tabernamontano, ac præterea ineptam addit Matth. picturam, quam præter noſtrã ſententiam, ac etiam, vt ſuſpicamur, Matth. facit Geranium 4. Fuchſii, ſiue gruinale. Porrò, Matthiolus in prior. comm. Sideritidem poſtremam Dioſc. eam planè referre plantam ſcripſit, quam vulgus Herbariorum Rubertã appellat. Sed præſentia verba ſilentio præterit in comm. cũ mag. figuris. Quemadmodum tandem non deſcripſit Geraniũ, ita ſolâ picturâ paſſim. in comm. ſuis & Hiſt. germ. exhibet Sideritim tertiam. Quum autem figura Matth. nonnihil repræſentet Geraniũ, & ipſe olim dixerit Sideritim Rupertam referre: exiſtimo figuram eſſe partim ad deſcriptionem, partim ex Geranio effictam. Hinc fortè in comm. poſtr. omiſit verba, de Ruperta in prior. tradita, vt ſuum tueretur figmentũ. Et hæc fortaſſis quoque occaſio fuit, vt Camer. in Hiſt. Matt. germ. & Epit. eius iconem quoque neglexerit: C. Bauh, meam ante multos annos annotatam ſententiam amplexus eſt. Sideritis quartę figura inquit, videtur voluiſſe Geranium aliquod exprimere Matt. quoad folia maximè cum Geranium Rupertianũ Sideritidis nomine donetur: flores verò nõ Geranio, ſed Alchimillæ conueniunt. Inſcribitur hæc à Lugd. Sideritis quarta à Caſt. & Tabern. tertia, à C. Bauh. quinta.

C. Bauh. not.

An Cronemburgius hoc Geranium à Moſchato ritè diſtinguat, ex his eius verbis percipies. Tragus Chelidonium minus appellare voluit, herbam vulgo dictam Gotts gnad, h. e. Gratiã Dei, improbans eos qui Geranion, qui Roberti herbam, qui Acum moſchatam, qui Pedem colũbinum eſſe contendunt: in quorum tamen catalogo habentur quotquot ſimplicis Medicinæ artem tradunt doctiſſimi. Notandus Ruellius quòd Myrrhin Dioſcoridis ſtatuit herbam Roberti, ſicut & Io. Tagault. de pot. vulnerariis.

Lonic. ſuo pro Geranio tertio, ac ſecundò pro Chelidonio minore, pluribus plantis eadem nomina tribuens priori loco. Lonic ſuo more omnia confundens pingit

Si Valeriolæ de peſte, Herba Roberti eſt eadem cum aliorum, non placet adiunctum Roſtri ciconiæ nomen: id etiam perpendendum fuerit, an in carbunculis peſtiferis vſus eius conueniat?

Panax Heracl. Scio Lobel. aliò referre Panacem Heracleum Sideritidem Anguillaræ, quem epiſt. 5. eundem cũ Sideritide Crateuæ & tertia Dioſcoridis facit. *Anguill.* Verùm meliùs placet Tabernamontani opinio.

Tabern. Tabern. Ic. & Hiſt. vocat Geran. Rupertianum, & Geran. primum, ac ait Tragum non ſine errore Chelidoniam minorem vocare: eſſe Dioſcoridi Sideritim Heracleam Crateuæ: Anguillaram exiſtimare eſſe Panacem Heracleon Dioſc. ſed longè aberrare: Doctos vocare Geranium Rupertianum, muſchatum, & vulnerarium, item Gratiam Dei, Herbam rubeam, Rubeam muſchatam, Ropertianam, Rupertianã, Herbam Roberti aut Ruperti, aut diui Ruperti, & Rubertã: & has nomẽclaturas ferè omnes à rubro caule & foliis rubris

Nomina linguarum.

ei impositas esse: appellarialiàs etiã Acũ muschatã. It. Aco muschata & Ruberta: Gall. *l'herbe Robert: & Bec de cicogne sentant le musc*: Angl. hierb Robert. Belg. Robrechts kruyt / Roberts kruyt / & Dynaers beck die naher dē Museus rieck: German. Kupːecchskraut / S. Ruiprechts krau t / Sichtkraut / Gottes gnad / Rottlaufkraut / q erysipelatibus medeatur, klein Schöllwurtz / & kleen Schwalbenkraut / quòd cum Chelidonio, aut aduentu hirundinum floreat, & hinc Turnerum Geranium Chelidonium, & Geran. hirundinarium nominasse. Item, Geran. violaceum, Ger. duodecimum, Geran. batrachoides minus, & gratiam Dei minorem.

Hist. Lugd. iam eadem repetita.

H. Lugd. pag. 1276. Geran. 2. Dioscoridis, 3. Matthioli, Pes columbinus: p. 1276. Herbæ Roberti, Geranii quarti genus Matthioli. *Cur eandem* figuram ponit duobus locis, sub diuersis titulis, quorum prior non conuenit?

Hier. Brũsch.

Apud Hier. Brunsch. in edit. anni 1505. bene pingitur figura Herbæ Ruperti, & melius quidem quàm in poster. anni 1550. vbi alterius generis icon exhibetur.

Dorst. not.

Dorst. habet iconem Geranii Robertiani siue muralis pag. 147. quod à cæteris minùs diligenter distinguit.

Fuchs. Dodon. gall. Brunfels. Lac. Turn. & Thalio dicitur Geranium tertium: Lob. in Adu. (vbi & Sideritis Achilleadon, aut congener) Obseru. p. 375. Ic. Plant. p. 657. & Camer. hort. Geran. Ropertianum: Rubertiana vulgò Cæsalpino.

C. Bauh. phyt. Geran. 17. siue Robertianum primum: Apud Matth. Geran. Robert. primum: item, Geran. 5. Matthioli. *Cur autem* Geranium Matthioli diuersum facit à Robertiano? Eidem Pin. Geran. folio Cicutæ 5. siue Robert. 1. Duplex est: alia omnino viridis, quam fœminam faciunt: alia rubens, quæ præfertur, teste Camerario.

Locus & Tempus.

Solet prouenire in veteribus muris, in cæsis arboribus, locis frigidis, humidis & vmbrosis: Aprili floret & totâ penè Æstate, teste Tabern. Fuchs. vim adstringendi & siccandi tribuit. Tragus videtur ei Chelidonij minoris vires adscribere. Ratò, inquit, intrò sumitur propter nimiam quam obtinet frigiditatem: efficacissimè erysipelatis imponitur herba tusa: succus & aqua distillata quibusuis exulcerationibus oris, mammillarum & pudendorum, tam muliebrium, quàm virilium medetur. Succus mariscas mundificat, sanátque: tumores deprimit, duritias mammillarum, aliorúmque membrorum, si fortè conquassata fuerint, discutit. Ioannis de monte experimentum parui facimus, qui multos oculorum morbos, appensâ nudo collo radice, certo anni tempore collectâ, Nicolaũ quẽdam Magistrũ curasse scribit. Geranium Robertianum, aliàs Sanguinariam dictam, rubens præferunt pastores, aquæ incoquentes & potui dantes pecori, armentisve cruenta mingentibus.

GERANIVM LVCIDVM.

Descriptio.

Geranium nostrum lucidum *folia* habet Mo mordicæ siue Geranii batrachoidis longiùs radicati formâ, sed minora quàm illa, Geranii columbini, in quatuor profundas lacinias fere è semper tripartitas diuisa, ex virore obscuro pulchrè lucentia, nonnihil hirsuta, pediculis hærentia, palmaribus aut vnciâ duntaxat longioribus: *caules* multi sunt, lucidi, rubentes, in varios ramos diuisi, interdum ferè cubitales: *flores* Geranii Robertiani floribus similes & pares: *rostra* breuia.

Synonyma.

Cur C. Bauh. in phyt. Geranium suum 8. siue argenteum, Geran. saxatile Camer. hort. Geran. sax. ὑγροκόκκινον Thal. à Geranio suo decimo, siue lucido nostro separauit. *Si diuersa sunt*, cur in in Pinace vnum fecit? Vocat Geran. Anemones folio rotundo 15. siue lucidum saxat. rotundifolium Columnæ.

Locus & Tempus.

Geneuæ copiosè abundat ad lacum extra portã *de Rive* in muris. Item inter Lugdunũ & Geneuam *à Chastillon* florens Maio. Ex semine prouenit Montbelgardi in horto meo, postea periit.

CHELIDONIVM MAIVS VETERVM. Cap. CXVI.

Hirundinaria Theoph.

QVam apud Theophrastum Gaza Hirundinariam interpretatus est, eam Dioscorides sic delineauit. Chelidonium magnum [χελιδόνιον μέγα] *caulem* producit cubitalem, aut etiã maiorem, gracilem, qui propagines habet foliis plenas. *Folia* similia sunt Ranunculi, teneriora tamen, & colore subglauca. Iuxta singula verò folia *flos* est, velut Viola alba. *Succus* autem croceus, acris, mordax, aliquo modo subamarus, & graueolens. *Radix* supernè quidem vna est, infernè verò plures. *Fructus* est velut Papaueris cornuti, tenuis, longus velut Pineæ nucis conus, in quo sunt semina Papauere maiora. Huius succus melli admixtus, & in æreo vase ad prunas coctus, ad acuendum visum commodus est. Exprimitur autem succus è foliis, & radice, & fructu, sub initiũ Æstatis, siccatúrque & in pastillos efformatur. At radix pota cum Anisо ex vino albo, morbum regium curat. Herpetas item cum vino imposita. Et dentium dolores sedat commanducata. Videtur autem Chelidonium nomen reperisse, quòd simul atque hirundines, quæ Chelidones vocantur, apparent, è terra prodeat, earumque discessu emarcescat, vel quòd si quis pullus hirundinum excæcetur, matres ipsorum herbam illis exhibere natrentur, & cæcitati ipsorum mederi.

Hirundo auis

Appellat. Nothæ. *Plinis.*

Chelidonium inter spuria quidam Pæoniam [παιονίαν] vocant, alij Crateam [κράταιαν] quasi egregiis pollentem viribus, alij Aubion [ἀκόνιτον:] alij Glaucion [γλαύκιον:] alij Pandionis radicem [πανδίονος ῥίζαν:] alij Philomedion [φιλομήδειον:] alij Othonion [ὀθόνιον:] Romani Fabium [φάβιον:] Galli Thona [θῶναν:] Ægyptij Mothoth [μοθὼθ:] Daci Crustanen, h.e. χρυσάνθεμον

Chelidoniam (inquit Plin. lib. 8. cap. 28.) visui saluberrimam hirundines monstrauêre, vexatis pullorum oculis illâ medentes. Et rursus lib. 25.

cap. 8. Animalia quoque inuenire herbas, in primisque Chelidoniam. Hac enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, vt quidam volunt (hoc ridet Cels. lib. 6. Aristoteles verò cap. 6. lib. 4 de ortu animalium caussam reddit: nempe eos renasci si pungantur ac euellantur, cùm adhuc fiunt, non autem vbi perfecti fuerint) etiam erutis oculis. Genera eius duo: Maior fruticosa caule, folio Pastinacæ erraticæ amplio re, ipsa altitudie duûm cubitorum. Color albicans, flos latens. Minori folia Hederæ rotundiora, minùs candida. Succus Croci mordax, semen Papaueris. Florent aduentu hirundinum, discessu marcescunt. Florentibus succus exprimitur, & in æreo vase cum melle Attico leniter cinere feruĕti decoquitur, singulari remedio contra caligines oculorum. Vtuntur & per se succo in collyriis, quæ Chelidonia appellantur ab ea. Et *hæc* de duplici Chelidoniæ genere Plinius, quæ cùm inuicem commisceat, atque confundat, alibi de iis agere non placuit, licèt figurâ multùm differant.

Plin. not.

Galen. Galeno 8. simpl. med. Chelidonium extergentis admodum & calidæ facultatis est, sed & succus eius ad acuendum visum commodus est, vtique in quibus crassum quiddam in pupillis colligitur digestione atque discussione indigens. Vsi sunt radice eius quidam ad auriginem ab obstructione jecoris proficiscentem, in vino eam albo potui exhibentes. Similiter mansa confert dentium doloribus. Porrò, Chelidonium minus, cùm acrius sit maiore, celeriter illitum cutem exulcerat, vngueſque scabros exterit. Succus eius per nares purgat, vtpote admodum acer. Itaque hæc herba quarti ordinis fuerit (calfacientium incipientis. Majus autem Chelidonium tertii est ordinis) absoluti iam, idque tum in calfaciendo, tum in siccando. Aëtius, qui eundem vsum Chelidonio magno adscribit, exterſoriam & calidam vim abunde possidere ait.

Chelidonii nominis appellationem quod attinet, duplicem eius rationem cum Dioſc. tradit Marcellus: reliquas verò dicit non satis certum habere intellectum. Fuchsius Chelidonio auem hirundinem nomen indidisse perhibet, vel quòd primùm hanc inuenerit, vel quòd eius aduentu floreat, discessúve commarcescat, id quod de minore verè dici putat. Sed Chelidonium minus longè ante discessum hirundinum marcescit. Dictum verò scribit Dodonæus Chelidonium maius non quòd aduentu χελιδόνων, i.e. hirundinum proueniat, aut abeuntibus illis pereat, cùm toto anno reperiatur, sed quia excæcatis pullis hac herba matres restituere visum in opinione sit. Hanc tamen opinionem ceu vanam & à veritare alienam, authore Celso, tanquam fabulam, ad græcas ablegat calendas.

Fuchs. refutatur.

Æquiuoca. Chelidonii nomine sequentes plantæ passim ab authoribus donantur: Chelid. maius. Chel. fol. laciniato. Cucurma, de qua lib. 19. Fumaria Split. Fumaria bulbosa. Aquilegia. Clymenum.

Chelidonium verò minus, Scrophulariæ minori, vnanimis ferè authorum consensus, competere ait. Chelidonium minus dicitur etiam de Geranio batrachoide, quàm bene autem facilè iudicabunt lectores. Nec meliùs Chelidonii speciem minorem Geranium Robertianum esse contendunt. Gesn. in ascr. Dioſc. Chelidonion micron Fumariam appellari refert. Scrophulariam flore pleno Camer. hort. cognominat Chelidonium minus flore pleno. Chelidonium minus paluſtre Cordi, est nobis Caltha aquatica. Lonic. in Dioſc. lib. 2. cap. 167. Ranunculum & Chelidoniam turpi errore confundit. Chelidonium dici de Anagallide ostendunt ex Dioscoride Tragus, Lonic. & Gesnerus. Idem Gesnerus in ascript. Dioſc. refert dici Chelidonion de Vite alba, siue Bryonia de qua libro 15. Sunt Chelidoniæ Ficus ἰσχὰς δὶς χελιδόνιος, Atticæ scilicet quæ & Chelidones vocantur: Pollux. Commendantur eædem ab Athenæo lib. 14. De purpureis Chelidoniis Columella inter Ficus. Nouissima sub Hieme maturatur Chelidonia Ficus, inquit Plinius. Eas Grammatici quidam à Chelidoniis populis in Britannia dictas coniiciunt, nescio quàm rectè.

CHELIDONIA.

CAP. CXVI.

PASSIM in parietinis & maceriis occurrit Chelidonium maius, cuius *radix* minimo digito crassior, fibrosa rubra, rubrum croceúmve succum, vt & folia caulesque fundit: aliquot *caules* producit, teretes, hirsutos, propter radicem & genicula tuberosos, vt in ea planta quã Noli me tangere vocant, ruffum mordacémque in ingratum illum succum fractos remittentes: *folia* cum Aquilegiæ foliis similitudinem aliquã habent, vtcunque tamen maiora, longiora [Lobel. ait tota facie ad Plinianum Capnum, vel Aquilegiam, comparatam, foliis cæsiis] numeroque plura, ad costam ex interuallis adnexa, vt plurimùm sena, septimo alam claudente: singularia folia Quercinorum æmulam diuisuram habent, Trago tenera, colore herbaceo, altera verò parte ex cæsio viridi. *Flores* crocei quatuor foliis constant, multisque staminibus concoloribus: *siliquæ* oblongæ *semen* continent: Trago siliquæ oblongæ ceu corniculati Papaueris semen pallidum recludunt: folia, caules, & flores croceum stillant lac, in primis radix, quæ & ipsa aureo planè prædita est colore, succo simili, lento, gustu amaro, grauissimíque odoris: Lobel. succo croceo fuluiore, virosiore quàm Papaueris cornuti.

Descriptio.

Χελιδόνιον μέγα Græcies: Latinis, vt Ruell. Trago, Fuchs. Cordo in Dioscorid. & Histor. Matth. Lac. Cast. Dod. Lob. Adu. Obs. & Ic. Plant. Gesn. hort. Cæsalp. Thal. Tabern. & Gerardo, Chelidonium maius: Brunfels. Chelidonia. Anguill. Chelidonia maior: Turn. Hirũdinaria: Lob. Adv. Hirũdinaria maior: C. Bauh. phyt. Chelid. 1. siue mai⁹, vulg. in Pin. & Clus. in hist.

Synonymacum nominibus, linguarum.

Apuleio

Apuleio Hirundinina, aliis etiam Herba lucis, Herba impetiginaria, Herba hirundinis: offic. Celidonium, & Celidonia, etiam vulgò in Hetruria. At ab imperitis, præsertim Chymistis, qui multorum stultitiâ Poëtas facilè imitantur, quod græci nominis vim ignorent, quod latinè nil aliud quàm Hirundinariam significat, *Cœli donum* corruptè nominatur. Serap. de simpl. cap. 296. *Kauroch*, *Curcuma*, & *Chelimonthoma*: Bellunensi *Chalidunium* & *Memiran*: Glossographo Auicēnæ *Algurduene*, *Hauroch*, *Hauroc*, *Chilidomon*, & *Memireſis*: Apud Auic. cap. 199. *Cauchum*, *Aluardachale*, *Aluardachule*, & *Alxardahune*. Germ. Schellwrtz/ Schellkraut/Schwalbenkraut/ Boldtwrtz & Gilbkraut: Bel. Schelcruyt/Goudtwortel/ groote Gouwe/ſincken de Gouwe: Gall. *Eſclere ou Eſclaire* (quòd caligantibus oculis aciem vidēdi reſtituat.) *Chelidoine*, & *Felougne*: Ital. *Chelidonia maggiore*, *Herba donna*, & *Cedrogna*: Hiſp. *Chelidonia*, *Yerua de las golondrinas* aut *golondrinhas*, *Celiduena*, & *Celiduenha*: Angl. Celondine: Boh. Celidony & Celdonia wietßj): Hung. Cynadonia/ & Feckēe fw.

An Virga tinctorū Auicennæ.

Lobel. indagandum proponit, num sit Virga tinctorum Auicennæ? Est Alberto Magno Herba quarta, à Chaldæis Aquilaris dicta quòd tempore quo Aquilæ suos nidos faciunt, nascatur, à Græcis Valis, à Lat. Chelidonia.

Locus.

Locis gignitur incultis, in vepribus, propter sepes, inter cætera herbarum vitia, inter rudera, in scrobium ripis, in vetustis citiùs, quàm in apricis.

Tempus

Toto anno viret: ab Aprili mense in multam Æstatem floret, siliquæ interea perficiuntur, seminâque maturantur.

Vires & vſus.

Vires quas tribuunt Chelidonio suo Dioſc. Plin. Galen. & Aëtius, itémq; fabulâ per Celsum reiectam, videre licet antè. Radix Chelidonij maioris, quantum eius manus capere possit, purgata, in sextario [quem Germani Ein halb maß exponunt] rosacei aceti decocta, ita vt deinceps percoletur, decoctóque adjiciatur theriacæ Vncia cum dimidia. cyathíque vulgaris mensura exhibita, à peste correptos (attestante id certâ experientiâ, inquit Trag.) liberabit, si postquam biberunt in lectum se composuerint, & sudauerint. Aqua eius distillata oculis indita: claritatem iis adfert, maculas eorum rubras emendat, sicut & faciei si inde colluantur: eodem modo anthraces pestilentes sanat: serosi humoris ad articulos vulneratos decurrentis fluxum sistit, quem Germani das gliedtwaſſer vocāt. Aqua distilata per aliquot dies pota, obstructos meatus hepatis adaperit morbóque regio medetur. Herba cum radice tusa ac vmbilico [cum oleo chamæmælino feruefacta] imposita torminibus & vteri doloribus opitulatur. Eius puluis vlcera & vulnera purgat, sanátque insperſus. Chelidoniam tritam cum axungia verrucas absumere refert Rondeletius. Lobel. rariùs intrò sumendam censet, sed commodiùs foris vtendam ad impetigines & psoras puerorum, necnon metallorum chymicas medicationes. Succus Chelidonię [inquit Paracels.] colore suo imponit oculis, ac si dotatum esset auro: verùm Chymistæ, qui animam vel quintam essentiam, vnde coagulantem ac permutantem tincturam efficerent, venati sunt, nihil præter fatuum errorem assecuti sunt. Chymistæ [addit Matth.] Cœli donum appellitant, quâ nominis præstantiâ freti, ex hac herba quandam quintam essentiam fieri prædicant, non modò suis vanis alchymicis imaginationibus accommodatissimam, sed ad tuendam etiam sanitatem hominum, morbósque quàm plurimos profligandos vtilem. Herba in calceis delata si nudis pedibus teratur, ictericos sanare creditur: eadem mensium abundantiam sistit, mammis mulierum admota. Succus cauis dentibus inditus eos frangit & eiicit. Hanc herbam, si Alberto credimus, si quis cum corde talpæ habuerit deuincet omnes hostes, omnes causas, & omnes lites amouebit. Et si prædicta ponantur super caput infirmi, si debet mori statim cantabit altâ voce, si nō, lachrymabit. Sed mittamus aniles fabulas, vndéque digressi sumus, redeamus. Succus ad oculorum maculas, argemas, nubeculas, & cicatrices plurimùm commendatur. Verùm cùm acerrimus sit, adhibendus non est, nisi iis additis, quæ eius acrimoniam retundunt, cuiusmodi dicitur esse lac muliebre.

CHELIDONIVM FOLIO LACINIATO.

Descriptio.

QVi vulgatius illud Chelidonium maius nouit, facilè oblatam hanc eius varietatē discet: cætera similia, *folia* minora, cōcinniùs crebriúsque incisa: *florum* itidē folia aliquib⁹ incisuris secta, & veluti fimbriata, accedētia ad flores plantæ, quæ quibusdam dicitur Cuminū siliquosum & Hipæcoum Clusij.

Synon.

Dicitur Spreng. hort. Chelidonia maior foliis & floribus incisis: Clus. Hist post. Chelidonium maius laciniato flore, siue maius multifido folio. C. Bauh. apud Matth. Chelid. maius alterum: Eidem in phyt. & Pin. Chelidonium *2.* siue maius foliis quernis.

Locus.

Vidi primò Heidelbergæ in horto Sprengeri sponte natam. Ex seminibus ab illo oblatis à pluribus annis Montbelgardi coluimus in horto. Ill. E.C. vbi ex deciduo semine quotannis repullulat.

AQVILEGIA IN GENERE.

CAP. CXVII.

Descriptio.

AQuilegiā subjicimus, cùm quibusdā Chelidonia silueſtris dicatur, & foliis aliquomodò conueniat, nisi quòd sint paulò rotundiora & molliora. Videtur autem dicta quasi Aquilina, ob florum mucrones aduncos, vt sunt aquilini vngues. Veteribúsne fuerit nota, ambigitur. Costæus quidem & Aldroandus Pothon [Desiderium Gazæ,] veterum, Theophrasti scil. esse contendunt: Cæsalpinus verò eiusdem Theoph. Iasionem credit: Dalechampio contrà apud A-

Iouis flos. thenæum Theophrasti Διὸς ἄνθος est, Iouis flos: Gesnero tamen Leontostomon Theoph. dicitur, *Leo herba.* & Leo Columellæ; Leo herba Dodonæo. Alii Ægilopa Græcorum credunt, omnesque facultates eidem tribuunt, sed non parum aberrant. Tragus Centaureum Germanicum siue maius esse autumat, eiusque illi vires, sed temerè & citra omnẽ rationem tribuit. Sunt etiam, referente Matthiolo (qui flori inter alios colores aureum adscribit, qualem nos nunquam obseruauimus) qui Chelidonium maius nuncupent. Gesner. in cat. pl. Cantabricam opinatur; Ruell. cæruleas Violas, aut quæ sint se nescire fatetur. Sed eis minùs conuenire deprehenditur. Dodon. in gall. hist. antiquis incognitam ait. Fabius Columna eam Aquilinam quæ simplici flore est, Ἰσόπυρον Dioscoridis esse cẽset, cuius iudicium Clusio valdè probatur. Lobelius tamen Columnæ opinionem Aquilegiam pro Isopyro Dioscoridis ponentis in suis plantarum illustrationibus rejicit atque damnat.

Gesnerus de Aquila annotat, aliquos herbam hanc, quam plerique Aquilegiam, aut cum Matthiolo Aquilinam nominant, Angelicam, & Amorem perfectum vocare: Germ. Oberkelen/ *Angelica. Amor perfectus.* vigelen/ & vigley: Belg. vicelenen: Galli Ancholies: Itali Aquileia, & Celidonia saluatica: Angli Columbine.

Locus & Tempus. Aquilegia flore simplici in montium pratis luxuriat, ea scilicet quæ cæruleo est flore: seritur etiam in hortis: caulescit mense Iunio. In hortis quidem diuersorum colorum conspicitur: itémque multiplex.

AQVILEGIA FLORE SIMPLICI.

Figuræ tres Fuchs.

Descriptio. PLusquam pollicari crassitudine est *radix*, candida, sapore subdulci: *folia* ex longis, rigidis, hirsutis pediculis terterna, Chelidoniæ maioris, infrà glauca, suprà viridãtia, cum obscurâ acrimoniâ exsiccantia, relictâ tandem dulcedine effatu dignâ: *caules* tenues, sed rigidi, hirsuti, geniculati, ramosi, amœnos *flores* sustinent, corniculis rostratis compositos, vt passis alis columbam (si cum lateribus alternatim interjectis foliis vnum ex corniculis exemeris) egregio naturæ artificio deformẽt: atque hi quidem vel siluestres, vix alterius coloris, quàm punicei, vel hortenses, colore cæruleo, rubro, candido, carneo, herbaceo, versicolore, infinitam pariunt varietatem: omnibus tamen *semen* Consolidæ regalis, nigrum, lubricũ, in corniculis surrectis Aconitorum continetur.

Sylueſtris. Aquilegia siluestris dicitur, Aquilegia simpliciter Trago, Fuchs. H. Lugd. p. 820. Lonic. Cæsalpin. & Gerardo: Aquileia Fuchs. Gesner. hort. & Dod. sylueſtris Thalio: Aquileia simplex Camer. Aquilina Matth. Lobel. Adv. Obs. p. 440. Ic. Plãt. 761. Cast. & Tabern. Aquilegia 1. siue simpliciter Trago, Fuchs. H. Lugdun. pag. 820. Lonic. Cæsalp. & Gerardo: Aquileia Fuchsio, Gesner. hort. & Dod. sylueſtris Thalio: Aquileia simplex Camer. Aquilina Matth. Lobel. Adv. Observ. p. 440. Ic. Plãt. 761. Cast. & Tabern. Aquilegia 1. siue simplex siluestris.

Hortenſ. Aquilegia hortensis, simplex secunda *Synonyma.* C. Bauh. Aquilina rubra Lob. Icon. p. 761. Aquilina Cast. alba Tabern. Ic. & Hist. quoad iconem, quoad ordinem 1. 2. 3. & 7. siue niuea, purpurea & rubra.

Aquilegia montana magno flore C. Bauh.

Descriptio. AQuilegia montana magno flore, 3. in Pin. in Aquilegię vulgaris altitudinẽ excrescit quidem, sed foliis primùm differt, cùm in lacinias tenuiores, easque non obtusas, vt in aliis, sed acutas diuidantur, & *folia* penè subrotunda sint: sic & *floribus* est cæruleis, vulgari similibus, sed multò maioribus. *Locus.* In monte prope Thermas Fabarias copiosè prouenit.

Aquilegia montana paruo flore, Thalictri folio.

Descriptio. EX *radice* paruâ, *folia* Thalictri formâ, sed exigua, pallidè virentia, prodeunt: inter quæ *cauliculus* tenuis, palmo minor, duobus, tribúsve foliolis breuibus, oblongis, minimè diuisis, exsurgit, *florem* vnicum cæruleum sustinens, formâ quidem vulgari similem, sed quintuplò minorem.

In Helvetiorum Alpibus reperitur: in Morauia prope vrbem Trebis, sub arce Smilo, in pratis vernali tẽpore copiosissimè reperiri relatum est C.

est C. Bauhino, qui in Prod. secundam facit, & in Pin. quartam.

AQVILEGIA FLORE PLENO, siue multiplici.

Descript. OB flotis elegantiã in hortis culta hæc stirps modò pluribus, densioribus, & nitidioribꝰ corniculis obseruatur: *floribus* etiam vberiore fœtuâ multiplicibus, qui vel cærulei prorsus sunt, vel violacei, vel cineracei, vel blandè rubentes, vel sature rubri, vel albi, vel ex albo & cæruleo, violaceóve multifariam commixti, vel alterius coloris, quis enim omnes enumeret? cætera similia.

Synon. Aquilegia multiplex Hort. Lus. flore pleno cęruleo, albo, incarnato, purpureo, rubro, siue 1. 2. 3. 4. & 5. Eyst. multiflora variegata Lob. Ic. p. 762. (ibidem & Aquilegia multiplici vario colore flore:) Aquileia multiplex Gerard. multiplici flore Dod. Aquilina multiplex Tabern. Ic. & Histor. quoad iconem; quoad ordinem 4. 5. 6. & 8. siue cærulea, alba, purpurea & variegata. Aquilina pleno flore Clusij hist.

C. Bauh. phyt. Aquilegia 3. siue hortensis multiplex: *Pin.* Aquilegia pleno flore 1. siue hortensis multiplex flore magno, Aquilegia flore rubro 5. Eyst. fl. variegato duplici Svver. Aquileia 6. siue variegata Bry. Aquilina fl. rubro Bry, Svver. Item, Aquilegia pleno flore 2. siue hort. multiplex fl. paruo.

AQVILEGIA FLORE PLENO INVERSO.

Descript. NOn tãtùm fœtuâ vberiore hi multiplices flores & colore diuersitatem pariũt multifariam, sed & figurâ discrepare iidem quotidie deprehenduntur, & diuersas interdum sortiri facies. siue naturæ lusu, siue artificio quodam, vt inuersi flores propemodum videantur.

Synon. Clus. hist. Aquilina pleno inuerso flore. Lobel. Ic. p. 765. (ibidem & Aquilina inuersa multiplici albo colore) Aquilina plenis multiplicibus floribus: Obs. p. 440. Aquilina plenis & multiplicibus aspectu suauissimis floribus inuersis cum hortensi multiplici eadem: Tabern. Histor. Aquilina 9. prorsus niuea flore magno & lato sursum reflexo: H. Lugd. pag. 821. Aquilina plenis & multiplicibus floribus Lobelij: Aquilina carnei coloris Bry. Aquilegia inuersa Camer. C. Bauh. phyt. Aquilegia 4. siue hortensis multiplex inuersis floribꝰ. *Pin.* Aquileg. pl. flore 3. siue hort. multiplici flor. inuerso, Aquileg. cærulea inuerso flore, Eyst.

AQVILEGIA FLORE SIMPLICI ET pleno, non corniculato.

Aquilina fl. simp. AQuilegiam floribus non corniculatis, sed Nigellæ cittinæ instar foliosis, vocamus, quã Clusius pro Aquilina roseo flore pleno pingit, & describit.

C. Bauh. pin. Aquilegia pleno flore 3. siue flore roseo multiplici, colore communiter cæruleo, ratiùs albo, rariſſimè carneo, siue blandè rubente: vel albo nigris punctis aspersо: hinc Aquilegia stellata flore purpureo, rubescente, violaceo, & albo minutissimis nigris punctis ornato, siue 1. 2. 3. & 4. Eyst. Aquilegia stellata cærulo-violacea Svvertij.

AQVILEGIA DEGENER.

CAP. CXVIII.

ITa nonnunquam degenerat Aquilegia, vt sæpiusculè flores proferat strigosiores, & tum quidem aut colore languidiore, & quasi dilutiore apparent, aut prorsus virorem induunt, Camer. Descriptio.

Aquilinam degenerem cõspicere meminit Clusius exiguæ Rosæ formam æmulantes flores ferentem, coloris vel omninò viridis, vel ex viridi purpurascentis, mutatâ videlicet pristinâ formâ, siue potiùs vitio contracto, ex stirpium intempestiua ex vno loco in alium translatione. *Aquilina degener.*

Lobel Icon. pag. 674. & Hort. Lusat. Aquilegia degener. C. Bauh. phyt. Aquileg. 5. [in Pin. fl. pleno] siue degener virescens: Aquilina 10. herbacea rubro variegata Tabern. Hist. Aquilina degener Bry: Aquilegia stellata rosea Svver. Synon.

Aquilegiæ semen tusum ac pondere drachmæ cum croco nummi pondere è vino bibitum, præstantissimum est medicamentum aduersus morbum regium [experientiâ certâ id attestante Trag.] si postquam sumpseris, in lectum te composueris, probè contectum, ac sudorem elicueris: eodem modo vsurpatum meatus iecinoris obstructos, vnde multæ ægritudines oriuntur, aperit. Aqua florum Aquilegiæ distillata, pora eadem efficit, præstátque leuamentum aduersus syncopen. Absessus proinde internos discutit, venenum quoduis expellit, ac tormina mitigat. Vires & Vsus.

Cæterùm, quæ de Aquilinæ facultatibus Clusius accipiebat à Rapardo, libet hîc subscribere: nimirum Aquilinæ vulgaris semen tenuissimè contusum, & ex vino propinatum, mulieribus in partûs difficultate cum optimo successu exhibeti: si prior tamen haustus minùs fuerit efficax, alium similem propinandum esse.

THALICTRVM VETERIBVS.

CAP. CXIX.

FEcit in hac herba vnius literæ ambiguæ similitudo, vt authorum exemplaria partim Thalictrum, θαλίκτρον, partim θαλήτρον Thaliętrum legerent, provt » pro « apud Græcos, apud Latinos verò postea e pro c litera fuit agnita. *Thalictrum.* *Thaliętrum.*

Sunt autem Plinio & Dioscoridi, paucis exceptis, de Thalictro eadem omnia. Thalictrum, ait hic libro quarto, folia Coriandri habet, at pinguiora, cauliculum Rutę crassitudine, in quo folia, quętrita impositа, vlcera diuturna *Dios.*

ad cicatricem perducunt, nascitur præcipuè in campestribus. Ille lib. 27. cap. vlt. Thalictrum folia Coriandri habet, pinguiora paullò, caulem Papaueris. (Sed Coriandri legit quoque Galenus sequutus Dioscoridem. Et fieri potest, vt Plinius græcâ lectione deceptus μικῶνος pro σκηπτοῦ legerit) nascitur vbique in campestribus: medentur vlceribus folia cum melle. Ægineta cum Galeno siccandi vim sine erosione habere ait.

Annotat Goupylus in veteribus Dioscoridis exemplaribus hoc loco caput esse de Typha. Sed de Typha priori libro tertio egit.

Æquiuoca. Thalictri nomen sequentes adeptæ sunt plantæ. Thalictrum nigrius caule & semine striato. Thalictrum folio saturatiùs virente, cauliculo nõ striato. Thalictrum speciosissimum glaucum, semine & caule striato. Thalictrum montanum album Clusij. Thalictrum maius folliculis angustifolium C. Bauhini Clusij. Thalictrũ pratense angustissimo folio C. Bauhini. Thalictrum minus, siue Rutæ pratensis genus minus, semine striato. Thalictrum minimum fœtidissimum. Aquilegia ab Heroldo, sed malè. Pimp. saxifr. minor Rondeletii, à Lobelio & H. Lugd. Seriphium germ. Chamæmel. fœtid. à Gesnero. Potentilla à Ruellio, sed falsò. Consol. regalis Trago, sed etiam falsò. Phelandr. Plinij à nonnullis, sed magno errore.

THALICTRVM NIGRIVS CAVLE ET semine striato.

Descript.

PVlchrè vi rentibus *foliis*, licèt saturatiùs cinctis, splendentibus tamen, longis, angulosis donatur: *caules* rigidi, striati, inanes, virescunt, & ad viri altitudinem & maiorem aliquando excrescunt: *flosculi* perquàm exigui, muscosi, herbidi, obtusum ferè in orbem g'omeratis staminulis herbidis, aut ex herbaceo flauescentibus constant: *radix* fibrosa buxei coloris, ingrati amaricantis saporis.

Cordus in Dioscor. verum Thalictrum facit, ac germ. heylblat, hoc est, Folium sanum appellat, quòd rustici Saxones hâc maxima curent vulnera, sine aliquo adiutore medico: ait tamen aliquos widerthon vocare, sed hoc vocabulum latè patere. In Hist. verò Thalictri nigri nomine describit.

Gesn. hort. Saxifragam luteam appellat à colore florum vel radicis luteo, ac Rutæ pratensi cognatam ait: alibi Barbam caprinam minorem vocat.

Dod. gall. ad Barbam capri refert, ac pro secunda siue minore specie describit, & pro Pigano pingit. Ignaros pharmacopœos pro syluestri Ruta, non sine magno errore vti scribit, & mulierculas Belgicas Rhabarbarum spurium vocare. Doctorum quorundam opinionem, Thalictrum existimantium, veritati haud consentaneam videri. Icon quidem à Dodonæo proposita respondet huic nostro Thalictro nigriori. Sed parui folliculi, quorum in descriptione meminit, siliquarum instar, conueniunt Thalictro, nobis à folliculis denominato. Quas verò radices nigras tribuit, Tragus Barbæ caprinæ vulgari adscripsit, qualem ipse pro prima specie pingit: nobis igitur videtur Dodonæus diuersas plantas confundere. *Dod. gall.*

Lobel. in Adu. author est industrios quosdam Thalictrum Dioscoridis opinati, Saxifragiam pratensem, quam Rutam fœtidam siue luteam, & pòst Rutam pratensem Herbariorum, commodiore vocabulo appellat, ac etiam in Icon. Plant. tom. 2. pag. 56. & Obs. pag. 508. eodem titulo donat.

Icon Tabernæmontani Rutæ prætensis maioris quidem conuenit cum nostro Thalictro nigriore. Verùm in descriptione non conueniunt quæ scribit de triangularibus folliculis. Rutam pratensem maiorem primam, contra doctos negat esse Thalictrum Dioscoridis, concludens esse Phelandrium Plinij, cognominans Rutam vulnerariam, & Rhabarbarum adulterinum, germ. wündtkraüt, & groß wysen Rauthen.

Schwenckfeldius plura Thalictra inuicem confundit: videtur autem eius Thalictrum pratense, Thalij Thalictrum maius folliculis angulosis: Eius verò Luteum, nostrum nigrius: ad quod etiam referendum censemus Alpinum. *Schwenck.*

Clus. in Pann. p. 380. & Hist. post. vocat Thalictrum 5. siue pratense 1. elatius, longioribus & magis artis foliis, & quodammodò splendentibus. C. Bauh. Pin. Thalictrum 1. siue maius siliqua angulosâ aut striata, Thalictrum nigrum Thalij, secundum siue latifol. germanicum Camerarij, Rutam siluestrem Cæsalpini: Ei autem adscribit florum muscosa stamina è pallido candicantia, ratiùs purpurascentia. Quæ occasio vt huc etiam referat Thalictrum flore incarnato, & albo, Eystett. *Synon.*

Abundat in collium pratis itinere Monbelgardensi quà itur *l'Iste* & Vesontium, in multis etiam Germaniæ locis, vt inter Electorales vrbes Oppenheym & Meyntz, in campis. *Locus.*

Dodonæo Thalictra maiora temperatè calida ac vnà resiccantia apparent: Folia eorum oleribus admixta, aluum nonnihil commouent: Radicis decoctum idem potiùs præstat. In Histor. gall. plures vires tribuebat quas in lat. omisit. Lutetiani nonnulli ad calculum laudabant Lobelio. Thalictris quibusdam in locis in Italia, teste Camerario, vtuntur contra pestem: in Saxonia contra icteritiam. Non autem placet Dodonæum & alios, ceu Tabern. easdem vires omnibus Thalictrorum generibus adscribere, quum ipsis non fuerint bene nota. *Vires & Vsus.*

THALICTRVM SPECIOSISSIMVM glaucum, semine & caule striato.

Descript.

HOminis interdum proceri staturam adæquat, vel etiam superat, *radice* flaua, multas fibras

fibras à latere obliquas circumquaque spargente, sapore amaro: *caulis* autem rectus, singularis, nullis alis, ramísve brachiatus, purpurascens, inanis, crassitudine digitali, perquàm longis internodiis interceptus: *Folia* ex articulis nascuntur, quos vaginâ amplectuntur, Thalictri maioris nigrioris latiora, si singularia spectes, colore vtrinque subcæruleo, vel glauco, sapore amaro, & acri, odore graui: summum caulis fastigium in surculos aliquot abit, quibus *flores* insident muscosi, ex meris fibrillis luteis compositi: *semen* tegitur tunica tenui, non anguloso folliculo.

Dodon. in purg. append. & Hist. in fol. lat. Thalictrum maius tertium facit, Camer. hort. Thalictrum 1. Italicum vulgò. Casp. Bauh. Pin. Thalictrum 3, siue maius flauum, staminibus luteis, vel glauco folio, Thalictrum maius Ger. Thalictrũ in Hetruria vulgò *Verdemacum* Cæsalp. Clusius Pann. pag. 380. & Hist. post. Thalictrum 1. siue Hispanicum. Lobel. Obs. p. 509. Ruta pratensis siue Thalictrum longè maius & multò speciosissimũ. Tabern. Ruta pratensis maior quarta, Phelandrium Hispanicum, Groß wysen Rauth/ Spanisch heyl blat: An Pes milui Anguillaræ?

Locus & Tempus. Ex Hispaniis in Belgium venit, & deinde operâ Clusij Pannonicis Austriacísque prouinciis vulgare factum est. Nobis ex S. Lupo Burgundię missa planta fuit nomine Rutæ capratiæ. Excreuit in horto Ill. E. C. ad altitudinem hominis florens Iunio & Iulio.

THALICTRVM MAIVS FOLLICVLIS angulosis caule læui.

Descript.

QVod D. Gesnerus Thalictrũ maius appellare solitus est, in cubitalem, vel sesquicubitalẽ altitudinem excrescit, ramosis, rigidis, politis, læuibúque & concauis *caulibus* donatũ: *folia* Aquilegiæ, læuia eiusdem pęnè coloris, & fermè inodora, amaricantia cũ acrimonia: *flores* ceu muscaria, cõferta, exradiatis staminulis in orbem actis, dilutam Violæ nigræ purpuram referentibus, apicibus tamen obsoleto colore luteóve præditis, compacti. *Radices* fibrosæ, multiplices, tenues, externæ nigricantes, internæ albæ, sapore non ingrato, quatuor veluti costis constant: *semen* in folliculis angulosis tenue, longum, fuscum.

Synon. Lobel. Adu. Ruta triangulo pericarpio: Tabern. Histor. sine icone, Ruta pratensis maior tertia. Dodon. Thalictrum magnum quartum: Clus. Pann. pag. 380. Thalictrum 4. siue montanum 3. à priore [montano albo 1. & 2.] solo floris colore differens. Thalictrum 5. flore purpureo Camer. hort.

Locus & Tempus. In monte Saleuæ Geneuæ obseruaui florens Iunio & Iulio semine maturo; in Sabaudia florens Autumno: Montbelgardi ad Dubim itinere versus *L'Isle* inter dumeta Iunio. Ex semine in horto prouenit.

Thalictrum pratense angustifolium.

Synõn. Clusio est in Pann. p. 380. & Hist. post. Thalictrum sextum, siue pratense secundum, humilius, flore candicante: Thalict. 3. angustifolium Camer. Thalict. 4. siue pratense angustifolium C. Bauh. Pin. Ruta pratensis maior 5. Tabern. in Hist. sine icone.

THALICTRVM MINVS, SIVE RVTÆ pratensis genus minus, semine striato.

Descripti. THalictro maiori cum folliculis similis, non ea tamen vt plurimùm huic procerita: *caules* tenuiores, non minùs tamen rigidi: *folia* consimilia, crassiuscula. sed minora, siue sit spontanea siue culta, situ & dispositione eadẽ: *radix* tenuis, fibrosa, lutea, repens: *flores* ex radiatis staminibus componuntur, capitulis minoribus, colore ex fusco ad luteum vergente: *semen* itidem respondet.

Synon. Dodon. gall. Barbæ capræ tertia species, fortè Hypecoum Dioscoridis, quod etiam ὑπήφιον: Eidem in Purg. app. & Histor. Thalictrum paruum, Thalictri quintum genus minimum, Thalictrum minus, vt etiam Gerardo: Thalictrum 4. paruũ Camer. hort. Thalictrum tenuifol. Cordo hist. Thalictrum Cordi tenuifolium Lobel. in Adu. & Ic. Plant. p. 56. tom. 2. & Obs. p. 508. Clusio Thalictrum 7. siue omnium minimum, foliis minoribus, cineracei coloris, pallido floris colore: radice omnium maximè flaua & serpente, subindéque noua germina producente: Thalict. 8. siue minus C. Bauh. Pin.

Hypecoum H.Lugd pag. 1082. Cæsalp. Ruta pratensis alia minor, Cicuta Atheniensium quorundam. Ruta pratens. minor Tabernæmont.

Locus. In campestribus maritimis locis apud Belgas repertitur, alibi etiam in montosis, vti in Baldo Italiæ monte prouenire fertur.

Thalictrum minimum fœtidissimum C. Bauhini.

Descript. *Caule* est pedali, rotundo, in ramulos diuiso: *foliolis* pluribus in tres lacinias diuisis, anteriùs duabus incisuris denticulatis, supernè atrouirentibus, infernè pallescentibus: in ramulorum fastigiis *flosculi* parui, muscosi, ex plurimis staminulis cõpositi, quibus succedunt exiguæ valuulæ, oblongæ, senæ, septenæ, striatæ, apice incuruo donatæ, tibiq; inuicem iunctæ, capillaceo oblongo pediculo insidentes, *semen* exiguum includentes. Tota planta odorem fœtidissimum spirat: in Valesia reperitur.

BARBA CAPRI.

CAP. CXX.

Descript. *Radicem* fortita est mediocriter crassã, fibrosam, cortice tectam crassiusculo, ad rufedinem declinante, cui subest ligni sa substantia cum copiosa medulla alba, fatua: *caules*, duos, tres cubitos alti, & maiores, multis alis concaui, læues, teretes, medullosi, arcto tubulo (qui in alis nullus est) perforati: *folia* Castaneç, oblonga, acuminata, serrata, plura ad costam alligata, nullis intercedentibus minoribus foliolis vt in Vlmaria, à qua & *flores* huius plurimùm differunt, in ligulis videlicet racematim collocati, perpusilli, candidi.

Acetarium olus. Hermolaum in Dosc. hanc per Acetarium olus, quam quidam Tragopogon falsò esse volunt, & vulgò Barbam petræ, & in Gallia Cispadana Barbulam hircinam vocant, intelligere puto.

Tragus Barbulam capræ inscribit, proq; Barba caprina 2. siue sylueştri delineat, ac cum Vlmaria ad Pycnocomon Dioscoridis refert. Sed hunc opinionem improbat Fuchsius. Patauij alibiq; in Italia Christophorianam (*Crosiofanariam* Anguill. epistol. 14.) æquiùs vocari ait Gesnerus, qui quondam Asparagum siluestrem vocabat.

C.Bauh.Pin.Barba capræ 1. siue floribus oblõgis. Melandryon Plinij, Barba capri Fuchs. Dodon. gall. capræ H. Lugd. Eyst. caprina altera Lonic. Potentilla 2. Anguill. Drymopogon 1. Tab. Nobis quidem iudicibus H.Lugd. p. 1081. pingit Barbam capræ, verùm in descriptione cum ea confundit Vlmariam.

Locus. Genuæ copiosè prouenit in monticulo *la Bastie*, : Basileæ ad Rhenum prope domum Iram. Alunt Vngariæ, Austriæ, Stiriæ, vicinarúmque prouinciarum montanæ siluæ Barbam caprinam Fuchsij & Tragi, ab Vlmatia diuersam, referente Clusio.

VLMARIA.

CAP. CXXI.

Caule recto, Synon. angulosо, rubente, concauo, firmo, ad duos aut tres cubitos adolescit, *folia* læto virore nitentia, quina aut septena, ad costam connexa, in ercedentibus compluscul is minoribus: singularia folia, segmentum folij Imperatoriæ referunt, serrata & nonnihil sinuata: interdum verò crispo contextu plicarum ad Vlmi folia accedunt; sapore citra morsum strenuè siccante: *flores* suaueolentes positu & formâ Filipendulæ vulgaris, albidi, quinque foliis constant, apicibus crebris similiter albis, aut in luteum vergentibus: succedunt capitula parua acuminata ex contortis oblongis seminulis composita: *radix* digitalis, infinitis fibris rubentibus capillata. Trago, longa, fibrisque multis capillata, foris nigra, intus subfusca, grauissimi odoris, amari simul & adstringentis, non aliter quàm glandes. Locus. Descript. *Lugd.* an.

Cordo Histor. Medesussium, Argentilla maior quorundam, Frampfwurtzel. Tragus describit pro Barba capræ prima, referrtque cum secunda ad Pycnocomon Plinij & Dioscoridis. Nobis autem opinio Tragi planè displicet, nec vlla nota nobis cõuenire videtur cum Pycnocomo. Quin Cortusus, cùm Patauij essemus, Chrysocomen faciebat. Gesner. verò nobis Apum herbam, Imbenkraut, denominabat, quia eâ apes summoperè delectentur, si alueraria illinantur. Rupellæ in Gallia vocant *Vignette*. Anguill. epist. 17. dicitur Potentilla libro de dynamis Galeni laudata. Barba caprina 1. Lon. itémque Dod. gall. quoad descriptionem: figura enim non respondet, ideóque eam in fol.lat. mutauit, depinxitque sub titulo Reginæ prati, vocauitque germ. Geißbart/ Belg. Reynette, Gall. *Barbe de cheure*. Cum Rhodera Plinij similitudinis aliquid obtinere ait. Sed tamen eandem esse, affirmandum, contra C.Bauhinum, haud censet. Syno. Dios.

Gesn.hort. Christophoriana, Barba capri maior, Regina prati (sic dicitur etiam Gerardo) & Vlmaria quorundam. Barbicapra & Vlmaria vulgi Lob. in Adu. & Obs. p. 209. H. Belg. p. 869. Icon. Plant. pag. 711. Vlmaria Car. Steph. Horti p. 66. H.Lugd. p. 1081. Gesn. cat. Camer. hort. & Tabern.

C.Bauh.Pin. Barba caprę altera, siue florib. com-

pactis, Potentilla 1.' Anguill. Argentilla maior Thalij.

Locus

Alunt Vngariæ, Auſtriæ, Stiriæ, vicinarúmque prouinciarum prata humidiora, & torrentium ripæ, Vlmariam ab vlmaceis foliis dictam, temperamento, atque etiam odore Pimpinellæ maiori Italicæ quodammodò reſpondentem, referente Cluſio. Non rarò in vliginoſis pratis, ſæpè etiam inter ſpinas, & in collibus quibuſdam, quotannis nouos caules emittit, floréque Iunio menſe, authore Trago. Montbelgardi paſſim circa aquarum riuos abundat; Baſileæ in itinere, quo itur Leurach, & Geneuæ in pratis vltra *Arue* florens Maio & Iunio, copioſè Iulio inter Durlacum & Eſlingen.

tempus.

Calidam & ſiccam iudicat Tragus. Mulierculęantem verno tempore tenera folia legunt, oleribúſq; ſuis adiungunt. Si in vino rubro & quaſi nigro decoquatur radix & bibatur, diſenterię vtilis eſt. Eadem verò vino & melle decocta & pota aluum ſoluit, bilem extrahit. Semen in cibo commanducatum, capiti noxam adfert. Herba cum farina tuſa & impoſita, tumores diſcutit, furculos præterea extrahit, cuſpides & tela, tuſa & impoſita. Folia adultiora puſtulas excitant, quemadmodum Ranunculus. *Ego contra* Tragum, iudico hanc plantam potiùs frigidam, quàm calidam, & poſteriores vires, quas ponit Tragus (quę potiſſ. Pycnocomi Dioſcoridis) non conuenire ſed planè contrarias eſſe iis, quas ex eo primo loco recenſemus. Præterea Dioſcorides ait Pycnocomon conſtare Erucæ foliis acrioribus, non tamen puſtulas Ranunculi modo excitare ſcribit. Tragus in ſua deſcriptione nullius acrimoniæ meminit, ſed tantùm amari & aſtringentis ſaporis. Rupellenſis Renatus dicit hydromelitti ex eius flore conciliari gratum odorem, & ita parari vt æmuletur vinum Creticum quod Maluaticum vocant: ſe etiam vidiſſe qui Lutetiæ aduerſus peſtem commendarent.

Vires & Vſus.

LEONTOPETALON IN GENERE EX antiquis & recentioribus.

CAP. CXXII.

LEontopetalum caulem profert dodrantalem [διαπιθαμαῖον vet.] aut etiam altiorem, plurimis alis concauum, in quarum cacuminibus ſiliquæ ſunt ciceris modo [quidam carent his vocibus, ὅμοιοι [ſc. λοβοὶ] ἐρεβίνθοις.] ac in his duo triáve minuta *ſemina*, *flores* punicei, Anemonæ ſimiles, *folia* Braſſicæ, Papaueris foliorum diuiſura: *radix* nigra, Rapo ſimilis [ῥίζα μέλαινα ὥσπερ γογγυλὶς: hæc vet. parentheſi includit.] quæ eminentias ceu nodos quoſdam habet. Naſcitur in aruis, ac inter ſegetes. Radix ex vino pota commorſis à ſerpente auxiliatur, dolorem omnem celeriter eximens. Miſcetur & iſchiadicorum clyſteribus, Dioſc.

Dioſc.

Sunt qui inter ſpuria Leontopodion, qui Leucetion, qui Leontion, qui Dorida, qui Doricten-da, qui Lychnidem agreſtem, qui Pardalium, qui Therybetium, qui Rapeium, qui Papauer cornutum, qui Anemonem vocant. Romani Papauerculum, aut Semen leoninum dicũt. Ex quibus cõſtat nomen à ferociſſimo & generoſiſſimo omniũ animali quondam inueniſſe. Quid autem illi cũ leone conueniat, non ſatis certum eſt. Si nominis origo expendatur, nihil Leontopetalon erit, annotante Marcello, quàm leonis folium. Sed quã leonis partem, verbi cauſa, pedem, aurem, linguam, aſ-

lámve huiuſcemodi, folium referat, non ſatis pro comperto eſt, præſertim variantibus appellationibus, Leontio, Leontopodio, & Leonino ſemine, quæ quidem omnes à leone cauſam nominis, ſed non eodem modo habent: Siquidem Leontion leunculus eſt, Leontopodion autem leonis pedẽ ſignificat, & Leoninum ſemen cauſam nominis in ſemine non in folio eſſe oſtendit. Cur autem agreſtis Lychnis diceretur, floris figura in cauſa eſt, quæ Anemonem & ſilueſtre Papauer dici etiã Leontopetalon fecit. Omnes enim hi flores magnitudine, colore, totaque figurâ ſimiles, aut ſaltem non multùm diſſimiles inter ſe ſunt.

Deſcripſit Leontopetalon lib. 27. c. 11. Plinius iiſdem verbis: Rhapeion aliis vocari dicens, folio Braſſicæ, caule ſemipedali, alis multis, ſemine in cacumine in ſiliquis Ciceris modo, radice Rapo ſimili, grandi & nigra: naſci eam in aruis: & omnium generum ſerpentibus in vino potam radicem aduerſari, nec quicquam celeriùs perficere: dari & iſchiadicis.

Maximè autem, authore Galeno, radice vtimur, quæ diſcutiendi vim habet, ſiccatque & calefacit in tertio ordine.

Leontopetalon quidam eam herbam eſſe volunt, quam ſequenti capite deſcribemus. Alij Fumariam bulboſam Leontopetali genus eſſe exiſtimant. Alij, teſte Geſnero, Helleborum nigrum. Garyophyllatam aquaticam Tragus, Alchimillã Cornarius, ſed non ſine magno errore. Æquiuoci

LEONTOPETALON QVORVNDAM.

Deſcriptio.

RAdix pugnum implet, rotunda, tuberibus multis inæqualis, cortice cinereo, pulpa virente in luteo, ſapore amaro: hinc exeunt *pediculi* pedales, trifariam diuiſi, quorum ſingulæ diuiſiones bina aut terna gerunt *folia* circinatæ ferè rotunditatis, alia integra, alia laciniata, & veluti criſpa, colore ex glauco flaueſcente, venoſa: *flores* in vncialibus pediculis, foliis oblongis interiectis, in caulibus ſpicatim congeſti, lutei Ranunculi florum magnitudine, quinque ſtriatis oblongis foliis conſtant, apicibus luteolis vmbilicum circumſtantibus, quibus marceſcentibus prolongantur pediculi in palmarem longitudinem, in extremo vtriculum venoſum Halicacabi ſuſtinentes: *ſemen* nigrum Cannæ Indicæ ſemini perſimile.

Synon.

Leontopetalum Matth. Geſn. hort. & Camer. Leontopetalon Lobel. in Adu. Obſ. pag. 391. Ic. Plant. p. 685. Caſt. Lonic. Rauvvolff. Lac. Cæſalp. & H. Lug. p. 1608.

Leontopetalum hoc quod ex Græcia adfertur descriptioni Dioscoridis nec foliis, nec flore respondere ait Anguillara epist. 12. ac propterea an verum sit, aliis diiudicandum proponit.

Ex semine quidem Camerario prodiit foliis binis oblongis, crispatis oris, sed ad frugem non peruenit, & quidem quoad radicem & fructum conuenit descriptioni Dioscoridis, sed folia & flores planè discrepant. Incolæ Orientalium regionum circa Alepum, vbi Rauvvolff. reperit, suâ linguâ *Astab* vocant, atque radicum maiorum puluere vestes fricant, & hâc ratione maculas delent.

Hanc plantam, eiusq; nigram extuberantemque radicem Rapi instar vidisse scait Matthiolus non modò Venetiis, & Patauij in quibusdam hortis, verùm etiam in Hetruriæ aruis, aliisque Italiæ locis, nascique frequentem in Apulia.

PÆONIA VETERIBVS ET Neotericis.

Cap. CXXIII.

Theoph. THeophrasto cognita fuit. Sic enim libr. 9. Hist. pl. cap. 9. de ea disseruit. At illud veluti adiectitium, & è longinquo petitũ videtur, quod sc. Pæoniam [Castam reddit Gaza] quam alij Glycysidam [γλυκυσίδα, Gaza Dulcisidam.] vocant, noctu effodiendam præcipiunt: sibi imaginantes, si interdiu quispiam eruat, & à pico martio conspiciatur, eum fructum quidem legere, sed oculis periclitari: radicem autem secanti, sedẽ procidere.

Pæonia siue Glycyside [παιονία ἢ γλυκυσίδη] quibusdam Pentorobon. Sic Apuleius à numero granorum Ervo similium vocat, quin & Sarracenum Galeno sic legere mauult, græcè tamen legitur πεντόμορον habet] dicitur.

In nothis vocatur Pæonia mas Orobelium [ὀροβίλιον, à granis Ervo similibus:] aliis Orobax (ὀροβάξ:) aliis, quòd menstruum sanguinem educat, Hæmagogum (αἱμαγώγιον:) aliis Pæsæde, [παισαίδη:] aliis Aglaophotida (ἀγλαοφωτίδα:) quibusdam quasi Diuinum donum, Theodonium (θεοδώνιον:) aliis, quasi Lunaris, Selenion (σελήνιον) Prophetis, quasi Lunæ genitura, Selinogonum (σελινόγονον:) aliis Phthisis (φθίσις:) Romanis Casta. Sunt qui Idæos dactylos (Ἰδαίους δακτύλους) radicem Pæoniæ vocent.

Descript. Caulis fere in duorum dodrantum altitudinem adolescit, inquit Dioscorides, adnascente numerosâ sobole comitatus: ac mari quidem folia sunt, qualia Iuglandis (βασιλικῆς καρύας: Plinio qualia Isatis, pinguiora, rotundioraque & minora. Sed Sarracen. pro Isatis, Iuglandis reponendum esse suspicatur.) Fœminæ verò incisuris Smyrnij modo diuisa (φύλλα ὅσπερ σμύρνιον.) Plinio fœminæ folia Myrrham redolent, & densiora sunt: ex quo patet, ἀντὶ τοῦ σμυρνίου, σμύρνα legisse, manifesto errore: quamuis & Smyrnium à Myrrhæ odore saporéve, quem refert, ita dictum est. Sarrac.) Summo caule fert vtraque siliquas quasdam, veluti Græcas nuces (ἀμυγδάλοις) quibus dehiscentibus grana multa rubentia, parua, acinis Punicorũ (ῥοιᾶς) similia inueniuntur, & inter hæc media quinque aut sex, nigra, purpurea. Radix maris digitali ferè est crassitudine & palmi longitudine, gustu adstringens, candida (λεύκη ver. caret) Fœminæ verò radicibus ceu glandes septem octóve adhærent, quales Hastulæ regiæ [ὅσπερ ἀσφοδέλους] radicibus adnascuntur. Idem in aliquibus exemplaribus posteaquam de fœminæ radicibus egit: Mas, inquit, plures habet, quoniam non vnâ radice nixus est, palmi altitudine, candidaque. Sed Sarac. ita potiùs legendum censet: Mas plures non habet, sed vnâ radice nixus est.

Antiqua autem pariter & honesta siue Pæoniam, siue Glycysidem eam voces, plantæ huius appellatio est. *Habet* enim altera auctorem antiquæ medicinæ peritissimum Pæonem, cuius in vera & fabulosa historia egregium nomen & æterna laus adhuc est: *Altera* à dulcedine, quàm solo nomine indicat, non paruam illi dignitatem & gratiam illi acquirit. Accedit his quòd nihil non sanari Pæoniâ superstitiosè credidit antiquitas, nec corporis tantùm morbis, sed animi affectionibus pariter mederi: adhæc imperare tempestatibus, arcere grandines, disiicere satorum rubiginem, & ne in huiuscemodi longiores simus, Lemuribus etiam aduersari. Quod non aliunde in plebis animos irrepsit, quàm ex his quæ Theophrastus, & Theophrastum sequutus Plinius, pluresque alij de legenda Pæonia ridicula magis, quàm superstitiosa, tradiderunt, & ex his quæ à Dioscoride de ephialtis naturæ vitio, non deorum iurâ, præcepta sunt, adiscentibus continuè imperitis ex superstitione sua, deorumq; metu, quæ nullam haberent naturæ rationem, religionemq; medicinæ turpissimè miscentibus. Ex quibus factum est, vt tam multis nominibus vna censeretur Pæonia, quorum aliqua nullam, nisi ex humana superstitione causam & originem habent, qualia sunt Menion, Selenionq;, Lunarem herbam significantia: qualia itidem Idæi dactyli, qui in Creta nutrisse Iouem dicti fuerunt in veteri superstitione quotidianis precibus exorati, quibus potestate Pæonia comparabatur. Nisi fortè, quod magis verisimile est, prima huius nominis origo à radicibus eius facta fuerit, quas Dioscorides ait in fœmina glandium quantitate, & Asphodeli figura esse, & à digitali longitudine, quam habent, dactyli primùm vocata ex eo herba fuerit, mox accedente superstitione ad Idæos dactylos transtulerint homines, & quæ simpliciter Dactyli herba nominabatur, religiosè Idæi dactyli vocari incœperit, mox Theodonion, quod diuinam opem & auxilium pollicetur. Tum Aglaophotis quod lucis splendorem ostendit, postremoque Casta herba, modò antiqua Romanorum ea appellatio sit. Ex eodem genere reliqua sunt præterea, quæ ad numerum folliculorum, & seminum figuram in ea pertinent, qualia sunt Pentarobon quasi quinquervum, Orobalion, & Orobax, omnia ab Ervo notissima fruge facta, cui Pæoniæ semen quantitate in cunctis, colore autem in quinque aut sex tantùm par est. Sola Hæmagogos vox à ducendo sanguine facta fuit, pertinetq; ad vires eius, quibus puerperis à partu se non purgantibus prodest. *Pæonia.*

Cæterùm Pæoniam marem Tragus maximo cum errore existimat esse Fraxinellam, siue officinis falsò Dictamnum dictum. *Æquicola*

Insulsam perhibet Tragus Sciolorum distinctionem, qui Pæoniam vulgarem illam, Germanis Benedicten Rosen vocatam, Lapathum esse statuunt. Eodem authore apud Dioscoridem Pæoniæ nomenclatura Chelidonio quoque tribuitur.

Laudata multùm antiquis & neotericis ob vires & varias & multas vtilitates Pæonia est. Radix (inquit *Vsus.*

quit Dioſc.) fœminis à partu non purgatis exhibetur: ciet quoque menſes nucis græcæ magnitudine pota: ventris etiam doloribus in vino bibita auxiliatur. Prodeſt arquatis,& iis qui renum aut veſicæ cruciatibus infeſtantur. Eadem decocta in vino potaque aluum ſiſtit. Seminis autem granula decem, duodecimve rubentia in vino nigro & auſtero pota, ſanguinolentum fluorem muliebrem [ῥοῦν ἐρυθρὸν dixit, ad differentiam τοῦ λευκοῦ. Enimuerò ῥοῦς γυναικεῖος etiam ipſi Dioſcoridi pro coloris varietate duplex fuit, alius λευκὸς, hoc eſt, albus, alius ἐρυθρὸς, i.e. rubens. Hunc porrò Sarac. cum Scribonio Largo fluorem ſanguinolentum vertit: Plinius rubentes menſes reddidit] ſiſtunt: ſtomachicique, qui eroſiones ventriculi ſentiunt, comeſta opitulantur. Quin & à puerulis pota eſitaráve initia calculi eximunt. Quæ verò nigra ſunt grana, ſuppreſſionib⁹ nocturnis, quas ephialtas [incuborum ſuffocationibus, Faunorum in quiete ludibriis, Plin.] vocant, vuluæque ſtrangulationibus, ac veteri doloribus, numero quindecim, in aqua mulſa aut vino pota auxiliantur. Cæterùm [hæc Goupylus in antiquo vtroque codice fini capitis adſcripta reperit, quæ Ald. codex ad notha reiecit] naſcitur Pæonia in altiſſimis montibus, eorumque verticibus.

Ad eadem commendat libri 25. cap. 15. & libri 27. c. 10. Plinius: & ad melancholiam, & contra ſerpentes.

Galen. Ex authoritate Galeni, Radix Pæoniæ menſes cit, ex mulſa Amygdalæ quantitate pota. Expurgat etiam iecur obſtructum & renes. Sed hæc efficere nata eſt, quà acris & ſubamara eſt, quà verò quiddam etiam adſtrictorium obtinet, fluxiones ventris ſiſtit. Oportet autem tunc in auſterorum vinorum quopiam eam decoctam bibere. Eſt omninò reſiccatoria vehementer, vt non deſperauerim eam ex collo pueris ſuſpenſam, meritò co-

Morbus comitialis. mitialem morbum ſanare. Equidem vidi, inquit, puellum quandoque octo totis menſibus morbo comitiali liberum, ex eo quo geſtabat radicem tempore. Vbi autem forte fortunâ quod à collo ſuſpenſum erat, decidiſſet, protinus morbo correptus eſt: turſuſque ſuſpenſo in illius locum alio, inculpatè poſteà ſe habuit. Viſum verò eſt mihi ſatiùs eſſe depuò id certioris experientiæ gratia detrahere: id quum feciſſem, ac puer iterum eſſet conuulſus, magnam ac recentem radicis partem ex collo eius ſuſpendimus: ac deinceps prorſum ſanus effectus eſt puer, nec poſtea conuulſus. Sic ſuccus Cyrenaicus Columellam phlegmone affectam iuuat: Sic Nigella fricta ac odorata deſtillationes & grauedines deſiccat. *Addit Leuin. Lemnius* lib. 8. cap. 3. de occult. nat. miraculis: Pæonia Galeno nõ minùs decantata, quàm Biaſſica Catoni, non ſolùm à qualitate elementari, ſed totius ſubſtantiæ vi ac proprietate ſpecifica

Epialtas. hunc morbum [epilepſiam.] expugnat. Pueros autem in quibus vis morbi minùs valida, etiam à collo geſtata hoc morbo collapſos erigit. Diſcutit enim, conſumitque humorem pituitoſum, qui huius morbi eſt ſeminarium. Intus verò exhibitæ eius baccæ etiam in adultis efficaciùs id præſtant. Siquidem flatuoſum, imbutumque veneno humorem abſorbent, ac corpus ad temperamentum calidius, ſicciúſq; perducunt. Hoc autem ſemen præſtantiſſimum nonnulli aſſerunt, quod à Pæoniæ, quam maſculi nomine deſignant, prima fœtura emergit: Diu enim ſtolones, h.e. inutiles frutices, culmoſque effœtos ac ſemine deſtitutos profert. Vbi verò perfectè adoleuit, ſiliquis dehiſcentibus, hinc baccas atro colore politas, hinc acinos, coccineo, fragrantiq; rubore nitidos, oſtendunt, nigricans ſemen in vſum reſeruandum, non tamen eâ vanitate, ac ſuperſtitione, vt ſequentis anni ſemen credatur inefficax, cùm à decimo partu etiam qui emerſit fœtus, præſentaneam vim habeat, modò ne carioſus ſit & euanidus. In confeſſo eſt (inquit Montuus lib. 1. cap. 8. Haloſeos febrium) Pæoniæ radicem de collo pendentem, epilepſiam arcere, quod manifeſtauit *Galenus minimè omnium mendax.* Egoque ſubinde expertus ſum ad ſonticos & lunaticos plurimùm valere. Pæoniam maſculam infantium collo ſubnexam, comitialem morbum ſanare, veriſſimum eſſe compertit Fernelius. Quin & Apollonius Menabenus libello de Alce cap. 7. Pæoniæ maris radicem decreſcente Lunâ collectam, & recentem collo appenſam, puerum epilepticum, illicò ſanitati reſtituiſſe, nonnullis experimentis in Suecia vidit: Fœminam autem hoc præſtare non ſolere, multorum experimento compertum eſſe teſtatur. Nonnulli Sole Leonem occupante, die item & horâ ſolaribus, decreſcente etiam Lunâ colligendam præcipiunt. Bifariam eiuſmodi ſanatio contingere poteſt, vel deſiccatione, vel è totius ſubſtantiæ proprietate. Cæterùm, quacunque tandem ratione iſta contingant, ſucceſſus huius ſpe fruſtramur (verba ſunt Iulij Alexandrini à Neuſtain in ſuis Galeni de ſimplicium medic. facult. librum notis) hodie. Vel igitur tam efficax non eſt noſtra hæc Pæonia, quàm aliarum fortaſsè regionum aliquarum: vel leuiora erant illius temporis mala hæc, quàm noſtri huius ſint, ob immutatam in deterius, fortè victûs rationem. Quam ego afferre hoc loco cauſam non dubito, quum videam eiuſdem rationis allatam à Galeno alibi ſuper aliis morbis quibuſdam, Hippocratici temporis victûs rationem multò magis commendante quàm ſui.

Mirari ſubit Tragum, illam ex Plinio fabulam de Lemuribus & Faunis, quaſi planta hæc malignis ſpiritibus aduerſetur, approbare, & non potiùs ex Dioſcoride ad ephialtas, qui morbus naturalis eſt, facere, ſcribere. *Tragus notatur.*

Fuchſius Pœoniæ radicem tribuit leuiter adſtringentẽ, cum quadam dulcedine. Si verò pluſculùm dentibus mandatur, acrimoniam quampiam ſubamaram percipi ait, in radice præſertim noſtratis Pœoniæ, quam fœminam eſſe dicit. Pœoniæ verò in vniuerſum temperamentum tenuium eſſe partium, exiccatorium, haud tamen inſigniter calidum, ſed aut ſymmetrum, aut paulò calidius. *Temperam.*

Aquam ſtillatitiam ſic parat Wirt. Empiricus: Pœoniam floribus abundantem eruit, in tenues particulas conſcindit, in cantharo benè obturato & lutato in cellam frigidam ſupra fundum reponit, ibique per quatuordecim dies relinquit, ac poſt diſtillat. Hanc autem aquam caput valdè imbecille corroborare affirmat, ſi æger, quum in ſtuphis fuerit, aut caput lauerit, ſtillatitium liquorem tepefactum capiti affuderit, manúque à parte anteriore ad poſteriorem deductâ, affricarit. Idem quum ab Epilepſia timet, arreptas Pœoniæ radices abluit, in tenues rotulas conſcindit, quarum drachmas duas in vino albo macerat, de eo per biduum bibit, & epoto aliud affundit. Altero quoque die nouas immittit radices, per quatuordecim dies creſcente Lunâ in continuando. Si demum ſibi valdè metuat, mane per biduum aut triduum ipſius radicis duas aut tres rotulas co- *Caput imbecille.*

medit, per duas horas à cibo abstinens : similiter iturus cubitum.

PÆONIA MAS, VNA PRÆCOCIOR, & altera tardior.

Descriptio.

Pæonia mas præcocior vt rarior, ita notabili foliorum & radicis differentiâ à fœmina dispescitur. Ea siquidem, quàm fœmina, videtur altiùs adsurgere, ad sesquicubitalem, aut bicubitalem altitudinem, pluribus *caulibus*, nonnihil tubentibus, in aliquot ramos diuisis, foliis vestitis Nucis Iuglandis ferè positu & figura, sed latioribus, crassioribus, lanugine quâdam auersâ parte pubescentibus, ternis, quaternis, quinis, ratiùs septenis, saturè virentibus, glaucoque obductis, caulium extremis ad cõmissuras parte interna rutilis, ex longis rubescentibus pediculis pendentibus. *Flores* supremis insident fastigiis singulares, paruli, quos carinata quędam folia sustinent, similes ferè floribus Pæoniæ fœminæ, sed dilutiores, non sine purpuræ tinctura, neruis reliqua floris parte saturatioribus, in quorum medio stamina purpurantia apices croceos sustinent. Succedunt *cornicula* alba, villosa in principio, atque lucente lanugine pubescentia, rariùs terna, sæpiùs quina aut circiter, crista sanguinea incurua supernè donata, iuxta cornicula stamina tu ila, apicibus luteis farinaceis constituta. Cornicula verò quæ terna, quaterna, quina, rariùs plura hirsuta, incana iam grandiora reddita, atque per maturitatem dehiscentia, recutuantur, elegantissimamque granorum ostentant seriem vtrinque ordine positam, primum acinis Granati colore similium, mox atro-cæruleorum, tandemque nigrorum, rotundorum, crassiorumque quàm in fœmina, colore & substantia alioqui similium, quemadmodum & sapore. Huius flores Maij initio explicantur, moxque decidunt. *Radix* ceu palus altè depangitur, recta, nonnunquam in adnata pauca dinaricata.

Eadem huic quæ priori proceritas: idem foliorum situs, sed numerosiora sunt, quippe quina aut septena impari aliquando bifido : dilutiùs quoque virent & auersâ parte cum prædicta foliis collata pallent, quâ & alba quadam lanugine donata sunt. Non caulium modò extrema, sed ipsæ quoque foliorum costæ ex puniceo interna seu aduersa parte rutilant. Floris corniculorumque eadem forma & ratio quæ præcedentis. Sed tardiùs erumpunt, nec citiùs quàm prioris decidunt. Radix tum huius tum præcedentis pollicari crassitudine aliquot diuisuris constant rectis, altiusque depactis, foris ruffis, intùs candidis, gustu à granorum sapore haud notabili diuersitate prædito. Floret hæc sub finem communiter Maij.

Lob. Obs. p. 390. Ic. Plant. 684., Pæonia mas: Item, p. 685. Pæonia mas cum semine. H. Lugd. p. 856. Pæonia mas Matthioli, & Pæonia mas Dalechampij. Duas figuras vnius plantæ habent. *Lob. & H. Lugd. loc.*

Pæonia mas Cordo in Dioscor. Matth. Anguill. Lob. in Adu. Dod. Cæsalp. Tabern. & Gerardo Pæonia pulchrior, siue nobilior, vel 2. Trago Pæonia mas foliis Nucis Gesn. hort. Pæonia 1. siue folio nigricante splendido, mas C.B. phyt. & pin. vbi ait: Variat floris colore purpureo & incarnato : & huius herbæ folia latiora segmenta habent, quæ subtus exalbida, hinc Eyst. Pæonia mas fl. purpureo : item Pæon. mas fl. incarnato: Et, Pæon. mas maior: itemque Pæon. mas maior fl. incarnato. Floris amplitudine reliquas superat: & herbæ folia in latiores & pauciores viridescentes particulas diuiduntur. *Synon.*

Gesnerus in Generoso dicto Heluetiæ monte reperiri audierat. Nos non nisi in hortis cultam obseruauimus. Si seminetur Vere, vt plurimùm per annum latitat, & pòst singulis annis foliorum diuisurâ augetur. Non se multiplicat vt alba, vel fœmina, vel ea quæ pleno flore est: radix enim subest crassa, profundè descendens. Pæoniæ autem effodiendæ commodissimum tempus est Lobelio, sub Caniculæ sydere. *Locus.*

PÆONIA FOEMINA VVLGATIOR.

Vulgatis notitiæ est hæc Pæoniæ fœminæ species, omnibusque hortis familiarissima, quæ *Radices* glãdulosas, fibris quibusdam interceptas habet, vt Asphodelus, à quibus denuò & aliæ nonnunquam propagantur : simili modo glandulosæ : *caulis* viridis, vix, nisi ad pediculi foliorum exortum, rubedinem vllam ostentat : *folia* variè & inconditè dissecta, modò trifida, modò bifida, (de singularibus foliis intellige) aliàs etiam integra, supernè virentia, infernè albicantia aliquantùm, & nonnihil hirsuta: *flos* qualis in mascula cum staminibus & apicibus consimilibus : perinde vt & siliquæ : at *semen* oblongum, per maturitatem nigrum. *Descriptio.*

Hanc Latini, inquit Tragus, Pæoniam, & Hastam regiam nuncupant. Ego verò Pæoniam fœminam Dioscoridis esse existimo: quam ille nomenclaturis inter notha relatis, & de quibus antè, describit.

Pæonia fœmina Dod. gall. Altera in fol. lat. vbi Pæoniam marem Plinij & Dioscoridis suspicatur. Huius inquit, Plinius folia Myrrham redolere *Paon. mas Plinij.*

Synonyma

Herba paralyſis alba, Brunfelſ.tom.1.thapſ.15. Secunda & ſylueſtris, Trago: Verbaſculum non odoratũ ſiue alterum, wild Schluſſelblumen/ weyß himelſchluſſel/Fuchſio. Verbaſculum album, Dod.gall. Primula Veris maior, floribus pallidis ac diluciùs coloratis, quaſi albidis Dod. lat. Antè diximus Dodonæum minùs diſtinctè ſcribere de hac Primula Veris cuius iconem exhibet, qualem Lobel.habet, vti etiam iconem eius quæ pleno flore eſt. Arthritica, Primula Veris, Herba ad paralyſim, Herba Petri Nic. Myrepſi, in fine. Hiemis erumpens, pallidior & minùs odorata, Geſn.hort. Primula Veris, Herba Paralyſis elatior pallido flore, Cluſ.Pan.& Hiſt. Primula Veris floribus pallẽtibus & foliis grandioribus.odoris nullius Lob.in Adu.Primula pratenſis luteo pallida inodora in Obſ.p.305. Ic.Pl.p.568. Primula ſilu.3.vel [in ordine] 5.Tabern. Primula Veris, Paralyſis ſilu. Thal. Aliſmatis ſiue Damaſonij genus alterum Plinij: ſecunda ſpecies Fab. Col. Verbaſculum flore ſimplici 2. ſiue pratenſe inodorum C.Bauh.phyt. & Pinace.

Primulæ Veris flos multiplex, Dod. Primula veris elatior polyphyllos ex Anglia in Belgium allata, Cluſ. Primula Veris pallida, in hortis Anglicis & Northmannicis culta, florum maiorum prouentu & fœcundo multiplici, triplò aut quadruplò omnium Primularum magnitudine & elegantiâ prima, Lobel. in Adu. Primula hortenſis Anglica omnium maxima & ſerotina floribus plenis, Obſ.p.305.Ic. Plant.pag.567. Primula Veris multiflora ſilueſtris, Primula 3.vel ſilu.1. Tabern. Arthritica pleno flore, Camer. Primula hortenſis Anglica Lobelij, H.Lugd p.384. Prim.Veris Anglicana fl.pleno Eyſt. C.Bauhin. in Pin. Monuimus antè nos diffidere à Caſp. Bauhino in eo quòd putet Primulam Anglicanam Lobelij eandem eſſe cum odorata flore pleno: Belgæ & Angli dijudicent.

Locus & Tempus.

Iidem ferè locis quibus lutea odora prouenit pallens inodorata. In pratis circa Tigurum abundat. In Auſtriæ, Stiriæ, Pannoniæque pratis reperit Cluſius. Montberlgardi in dumetis & ſiluoſis floret. Aprili.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS EX SINGVlaribus pallidis maioribus ſimplicibus & plenis. Item alia flore albo.

Deſcriptio.

Radix longa, fibroſa, guſtu adſtringente, Aniſum redolente, promit multos *pedunculos*, hirſutos, teretes, exalbidos, radicem verſus leuiter purpurantes, ſemipalmares & palmares, quorum faſtigio inſident è calyculo oblongo pentagono, angulis hirſutis prædito, colore herbaceo, quinquepartitò diuiſo, *flores* ex langueſcente luteo palliduli, vnguibus croceis, quinque foliis cordatis conſtantes, odore ferè euanido, in quorum medio reconduntur albè ſtaminula lutea, piſtillo herbaceo *capitellum* viride proferente: in ſingulis pediculis ſinguli *flores*, ſimiles Primulæ Veris inodoratæ, cui etiam ſimilia folia rugoſa, neruis hirſutis pronam partem percurrentibus, oblonga, obtuſa, ſupinâ parte glabra, ſapore non adeò adſtringente atque radix.

Varietas

Ludere in horto Ill.E.C. Montbelg. obſeruaui florem duodecim foliis cordatis ſtipatum. Ex eodem etiam calyce prodiit flos geminus, ſuo quiſque corniculo nixus: vni quidem folia ſeptena, alteri quina: ipſeque adeò calyx totidem conſta-

bat pinnatis cæſuris, quot ſimul vterque flos foliis. Flore etiam pleno accepi Argentinâ.

Synonyma

Trago dicitur Herba paralyſis ſylueſtris. Geſn. hort. Primula Veris, ſiue Herba ad paralyſim, circa Curiam Rhætorum naſcens, peculiaris, flore ſingulari, non in corymbis: Eidem in ep. ad Fab. Cur. Arthriticæ ſpecies rara, floribus ſingularis, non in corymbis: Item, Arthriticæ ſpecies, ſingulos flores ſingulis petiolis ſuſtinens: In epiſt. ad Zvving. Arthriticæ hybernæ. Dod.gall. Verbaſculum minus, officinarum Primula Veris minor: lat. Primula veris minor, floribus pallidè luteis, pediculis tenuibus.

Herba paralyſis humilis.

Primulam Veris, Herbam paralyſis humilem flore pallido, ſiue ἀκαύλον, Vngaris Kachavcrag/ hoc eſt, pultis ex Panico & Milio cõfectæ [quam illi Kacha vocant] florem dictum, Cluſius in Anglia flore omninò niueo conſpexit.

Syluarum primula [Lobel. in Obſ. pag.305. & Ic. Plant. pag.368. inſcribitur.] Tabern. vocat Primulam ſilu.2. Columna, Aliſmatis ſiue Damaſonij genus alterum Plinij.

C.Bauh, phyt. & Pin. Verbaſculum 3. ſiue ſiluarum maius ſingulari flore, Primulam Veris ſilueſtrem flore pallido. Eyſt. Herbam paralyſis Cæſalp. Arthriticam caule exiguo, vel nullo, Camerarij. Eidem in Pin. Verbaſculum flore multiplici 2. [6. in phyt.] ſiue ſilueſtre magno plenoque flore, Primula Veris ſyluarum fl. pleno ſpecioſo Eyſt. flore multiplici H.Lugd. Primula Veris multiflora ſilu. Tabern. Prim. Veris fl. pleno Ger.

Locus & tempus.

Circa Curiam Rhætorum tota Hyeme floret, ſi nix ſinat. Maxima copia in Vngaria cæduis ſiluis, & in Anglia flore albo etiam in cæduis ſiluis abundè lactei candoris obſeruabat Cluſius & in Belgium mittebat. Lubentiùs hæc nemoroſa, vmbroſaſque conualles ſectatur: vt in Anglia, Delphinatu & Sabaudia. Flandris & Gallis hortenſis. Bononiæ, Veronæ, Ferrariæ, & Patauij paſſim floret in hortis menſe Februario, Martio, & Aprili.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS PLENIS ex ſingularibus pediculis.

Deſcriptio.

DE hac antè mentionem fecimus ſub hoc titulo: Primula Veris floribus ex ſingularibus pediculis, &c. Hanc pingit Lobel. in Icon. Pl. pa.265. tom. 2. pro ſiluarum Primula Veris flore pleno ſpecioſo.

Locus.

In horto Illuſtr. E.C. dono D.Frider.Meieri habui, qui Argentinæ aliam oſtendit flore albo pleno, vnguibus luteis, quæ defloruerat Menſis Maij 14.die.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS OBSCVRÈ virentibus fimbriatis.

Descriptio

SIluarum Primula fimbriatis *floribus*, rugosisq; plicis, & coloris obscurè viridis, Lõdini hortis frequẽs, alioqui assimilis · cæteris authore Lobelio Adv. qui in Obs. p. 306. Ic. Plant. p. 569. titulo præposito donauit. Tabern. dicitur in Ic. & Hist Primula silu. flore viridi, Primula sexta: Gesn. hor. Arthriticæ genº odoratum flore virenti: Dod. lat. Primulæ Veris minoris species floribus herbaceis, obscuréque virentibus, & quandoque foliis multiplicatis. Icon quæ proponitur à Lob. & Tabern. pro Primula Veris floribus obscurè virentibus flores habet plenos. Quare mirari subit Lobelium non annotasse plenos esse. Ea icon optimè repræsentat Primulam Veris cum floribus plenis ex singularibus pediculis: vereor ne Lobelius viderit siccos flores, in quibus color facilè deperditur, alio successu temporis apparente, si in siccandis non summa diligentia adhibeatur. Summa fuit opera Clusij in annotandis Primulæ Veris differentiis, verùm viridium colore non meminit. C. Bauh. phyt. Verbasculum 4. siue siluarum minus flore singulari, quandoque multiplici: Pin. Verbasculum flore multiplici 3.

Lobel. not.

Icon alia.

cacumine vmbella sedet florum numerosorum semuncialibus pediculis hærentiũ, floribus Auriculæ vrsi respõdentiũ, coloris purpurascentis.

Huic per omnia similis minor species, caule trium, quatuórve vnciarum, foliis penè Alsines vulgaris & etiã dimidio minoribus, vix apparẽtibus crenis: floribus paucis, vno sc. duobus, veltribus.

Varietas

Cùm autem in figura nostra Fuchsiana flores minùs benè exprimantur: paruam plantam ex nostris curauimus pingendam, simulque maiorem ex Clusio assumpsimus.

Icones.

Coronarii punicei quoque flores, foliis ad perennem radicem oblongis, inferiùs candicantibus, Cordo in Obs. silua. Arthritica, Primula Veris minor cæruleis flosculis, Gesn. hort. Paralytica alpina, Sanicula angustifolia maior, floribus rubore & candore confusis: Primula Veris foliis Gnaphalij montani longioribus: floribus purpurantibus, aut ex roseo & albo confusis micantibus, Viennâ Austriæ à Clusio missa: Item, Sanicula alpina minor, siue media, folio minore tantillùm crenato, floribus non dispatibus, Lobel. Obs. pag. 307. Icon. Plant. pag. 570.

Synon.

Compilator Tabern. Primulam Alpinam mediam, siue secundam: itemque Primulam Alpinam angustifoliam, siue tertiam, confusè ponit cum Auricula vrsi.

Compil. cit.

C. Bauh. phyt. Verbasculum 8. siue cæruleum vmbellatum: Item, Verbasculum 9. siue Alpinum angustifolium maius: Et, Verbasculum 10. siue Alpinum angustifol. minus. *Eidem in Pin.* Verbasculum Alp 1. siue vmbellatum Alp. minus Maiele, Cordi Obs. Lerchenblümse Gesneri, monente Camerario: Verbasculus Alp. siue cæruleus H. Lugd. pag. 1126. Sanicula Alp. minor siue media Lobelij H. Lugd. Primula Veris flore rubro, Gerardi: Arthritica flore purpureo, Camerarij: Primula Veris angustifolia rubra & alba, Eyst. Item: Verbasculum alp. 2. siue vmbellatum maius: Keyserlin Simleri: Paralitica Alpina, Sanicula angustifolia maior Lobelij H. Lugd. Primula Veris albo flore Gerardi, varians floris colore, albo, rubro, & rubore & candore confuso.

Clusio videtur Gesneri Keyserlin: & Cæsar, inter herbas aut Regulus: Austriacarum rhizotomarũ Kreutzblümen, & klein rot schlüsselblumen: Rusticorum Anglorum Birdeein, hoc est, Aulum oculi, teste Pennæo.

Sponte magna copia prouenit in vliginosis & humidis

PRIMVLA VERIS MINOR purpurascens.

Descriptio

FIbrosis Primulę vulgaris *radicibus* hæret, è quarum capite *folia* pullulant numerosa terræ incumbentia, sexũtali lõgitudine, latitudine vnciali circũcirca serrata, subtus incana & neruorum viridãtium discursu, virgata, superiùs virentia: inter hæc *caules* surgunt plures dodrantales & breuiores, nudi, enodes, in quorum

tare, sed ab omnibus tribus diuersam esse testantur Cornarius, & Tragus.

Struthi silu. Pinxit Botan. Hær. Egenolphi p. 101. Fraxinellam sub inscriptione Struthij siluestris, wild Seyffenkraut / & Speychelkraut.

Dorst. nomen. Dorsthenium nescisse quid scriberet, id demonstrare videtur, quòd iuxta nomen Dictamni, Lipwurtz / Gichtwurtz / & waldlilie posuerit Fraxinellam, & ab altera parte Polygonatum: ex descriptione, quam habet, apparet eum nomina prædicta confundere. Si præterea caruimus, vt ipse ait, germana Dictamno, quis docuit ipsum tempus colligendi ad distillationem? In Germania, Gallia, & Italia, non prouenit vera seu germana Dictamnus, quæ distillari possit.

Brunch. icon. Apud Hieron. Brunschvveig in edit. anni 1505. malè Polygonatum pingitur sub his nominibus, weiß wurtzel / græcè Baris aut Diptamus, germ. Diptam / aut weißwurtz nomine falso Schwartz Diptam / Lipwurtz / Edele sunminadi / vel potiùs sumbart, vt habet impressio anni 1550. in qua meliùs Fraxinella exprimitur. Quin & Apollinaris in vna editione Polygonatum, & in altera Fraxinellam pictam proposuit.

An natrix Plinij Anguillaræ?

Synonyma. Dictamnus pictauis est Brunfelsio. Dictamnus vulgaris dicitur Trago, Gesner. hort. (cui & Fraxinella Italorum, & Rurpedij Chamæmelia, h. e. Fraxinus pumila, & Tragium Coldenbergij.) Camer. Lonic. [cui & Pæonia mascula] & Officinis. Dictamnus nostra Cordo in Dioscor. Dictamnus albus Matth. Lac. Cæs. & Castori Diptamnum album Bello. Tragium Dodon. gall. Tragium Creticum, Guil. theone. Polemonium Tabern. Fraxinella Cordo hist. Dod. lat. Hist. Lugd. p. 872. Clus. Pan. p. 54. & Hist. Ger. & Eyst.

Locus In Italiæ ac Germaniæ montibus ac collibus luroso ac saxoso reperitu folio. Illius passim in Pannonicis siluis, saltibúsque Viennensibus inueniuntur duo genera. Apud Belgas hortensis est. Floret Iunio: post semen prouenit.

Tempus. Iisdem cum vulgari Pæonia pollere viribus, Tragi authoritate concludimus. Venenis omnibus aduersatur. Radix, inquit Matthiolus, cuius vsus est, amara est: valet aduersus venena, & venenosorum animalium ictus. Necat interaneorum vermes drachmæ pondere hausta: datur contra frigidos vteri morbos, nam & menses & vrinas mouet, partus adiuuat, secũdas & emortuum fœtum educit, tum supposita, tum cum Pulegio suffita, tum ex vino meraco duarum drachmarum pondere pota. Valet quoque ad alui torsiones, & ad ejiciendos renum calculos. Additur quoque vtiliter in potionibus internorum vulnerum. Datur comitialibus, & in aliis cerebri affectibus. Præstat contra pestilentiæ contagia, quoquo modo sumatur. In summa ad multa radix vtilis est: Siliquæ & flores contactu pruritum faciunt. & in calidioribus regionibus cutem exulcerant. Dodonæo radix excalfacit & siccat ordine secundo, digerentis, attenuantis & aperientis est facultatis: conferre & stomachis & anhelosis fertur, & aduersus lethalia medicamenta antidotis vtiliter permisceri.

Vires & vsus.

PRIMVLA VERIS ODORATA FLORE luteo simplici.

CAP. CXXV.

Descriptio. PRimula Veris hæcce odorata è *radice* modicè crassa, inæquali, rubente, sapore subastringente, odore suaui, aromatico, fibris albis longis donata: *folia* profert per terram sparsa, oblonga, subrotunda, rugosa instar Betonicæ, sed maiora; In quorum medio *caulis* surrigitur palmaris aut dodrantalis, vnus pluréve, leuiter hirsutus, teres foliis nudus, in cuius fastigio *flores* quini, septeni, aut etiam duodeni ex oblongis calycibus in viridi flauis, lutei, odorati, simplices, in quinque lacinias diuisi, vel multiplices aliquando, in quorum medio apices crocei, ac stylus viridis: quibus marcescentibus succedunt *semina*, quæ Tabernæmontano parua & nigra dicuntur.

Arthritica Prior Ruell. Cuculi bracula Primuueria Viola Tusc. Ruellio est Arthritica prior, à floribus primo Vere statim emicantibus, officinis Primula Veris dicta, Ruri Cuculi brachula aut Primiueria. Luteæ Violæ genus quoddam is esse credidit, suspicatúsque est esse Violam Tusculanam, quòd ea cùm cœlum silet, & tempus serenat, exitu Hiemis necdum exactis frigoribus, erumpat, & vt prima vernas texat corollas, ita confestim fugax euanescens, vt in medium Ver vix decorem suum proroget: Vita ei complurimùm menstrua, nec temerè ad summum sesquimensem excedit. Nec desunt qui Phlomides coronarias esse contendant, sed notæ iam memoratæ non consentiunt.

Herba Paralysis Brunfels. Brunfelsius multa subinde apud autores de Paralysi herba [sic enim vocat rom. 1. Rhaps. 15.] se vestigasse iactat, & plurima cum Herbariis contulisse, verùm nec quicquam competisse, quod ad stomachum fecerit suum. Nomen ignotum Veteribus ait, & Barbaros iam inscitè, tam ineptè, confusaneéque omnia miscuisse, vt maius etiam negotium fecerint, &c.

Quod in Dioscoride & Plinio, Herba paralysis nomen habeat, Trago non constat. An verò Britannica sit Plinij, aut Bertanich Auicennæ doctioribus discutiendum relinquit, ab illis enim eruditi de veritate cupit. Apud Phrisium Chelidin, Taxifilon: Opiperam, Chelidium. & Germanicâ voce fastenblumen, h. e. Quadragesimalem florem nominari refert.

Et quamuis sint qui putent, vt Ruellio, Fuchsio, & recentiorum aliis placet, hanc vulgaris notitiæ plantam, quæ in quibusdam Bracha cuculi, officinis Primula veris, Germanis Clauis sancti Petri appellatur, esse Dioscoridis Phlomidem, eorum tamen sententiæ haud quaquam adstipulandum censet Matthiolus: Siquidem huic folia non insunt hirsuta, nec etiam rotunda, sed rugosa & oblonga. Addendum putat quòd florum, quos hæc proferat, nusquam meminerit Dioscorides, neque è Veteribus alius. Id quod, eius quidem iudicio, silentio inuoluendum non fuerat. Matthiolus eadem hæc de Primula Veris caulifera, pallido flore inodoro intelligit, quam infrà describemus.

Matth. reprehenditur. Sed cùm in eos inuehitur, qui inter Verbasci, species numerant duas illas plantas (Primulam Veris odoratam & inodoram) colore florum differentes, quæ primæ omnium Vere florent: quæque Herbæ paralysis vulgò vocantur: non recta reprehensione [vt Maranthæ videtur] vtitur, dum inquit, si Verbasci essent species, eius flores essent omninò à Dioscoride descripti, quamuis [vt Maranthæ in hac re sententiam proferamus] in aliis notis eorum placitum non ex omni parte acceptandum existimet.

Neoterici prima Phlomidum genera Dioscoridis, censent eam herbam (inquit Spieg. Ifag.

lib.1.cap.25.) quæ Paralytica & Arthetica vulgò dicitur, cuius multæ sunt species. Verùm non vident Dioscoridem his folia tribuisse hirsuta, quæ in nostra Paralysi desiderantur. Sunt enim aut læuia, aut crispa Lactucæ modo, hinc Lactuca silv. in regione Patauina vocatur.

Dorsth. error. Dorsthenius grani errore, deceptus vt puto lectione Brunfelsij, Margaritæ nomen adscribit Herbæ paralysis, licèt postea dicat Margaritam esse Bellidem.

Dod. taxatur. Dodonæus, vt nobis videtur, minùs distinctè scribit de Primulis Veris: oportebat eum inter alia indicare eam quæ flore eleganter est luteo, jucundè odorato cuius iconem omisit. Primulas, cum Matthiolo & Spiegelio, non hirsutas ait, contrarium tamen asserit Lobel. & quasdam hirsutas esse pronunciat. Nominantur, inquit, arteticæ, & Herbæ paralysis, quòd ad artuum & neruorum dolores conferre existimantur. Quæ maior est, à nonnullis Herba S. Petri dicitur. Altera Primula Veris minor appellari consueuit. Ad φλόμιδες, Latinis Verbascula dicta, à plerisque referuntur, sed cùm folia eius nec hirsuta, nec rotunda, ægrè eò pertrahuntur, &c.

Synon. Cæterùm, dicitur Herba paralysis Brunfels. Cast. descr. Herba paralysis vulgaris Trago, altera Cæsalp. Primula Veris Matth. H. Lugdi p. 834. Tabern. hortensis Thal. Primula Veris maior fl. luteis odoratis Dod. Primula Veris flauo flore elatior Clus. Pann. & Hist. post. Primula Veris flore luteo Eyst. Primula pratensis Lob. in Obs. p. 305. Ic. Plant. p. 567. odora lutea in Aduers. Gerardo. Verbasculum odoratum Fuchs. Dod. gall. Verbasculum flore simplici 1. siue pratense odoratum. Arthritica Gesn. hort. simplex luteo flore Camer. hort. Alisma pratorum Columellæ. Dodecantheon Angtill.

Locus & Tempus. Vbique in pratis vliginosis & riguis, præsertim regionum minùs calidarum, vt Sabaudiæ, Flandriæ, Galliæ Northmanniæ & Angliæ primo Veris tempore florent, referente Lobelio. In Austriç Stiriæ, Pannoniæque pratis & herbosis montanisque locis atque iuuis Primulę Veris Herbariorum genera nascuntur, elatior vtraque atque humilior, authore Clusio. Basileæ, Geneuæ, & Lugduni floret Martio & Aprili.

Vires & vsus. Recentiores duobus Verbasculis hos effectus assignant. Trita imponuntur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto vesicæ renumque obstructiones soluuntur. Ius herbæ propinatur & illinitur aduersus rupta, luxata, & liuentia. Quod verò hæc eadem possint, temperamentum eorundem palam docet: parum enim adstringunt: si gustaueris, amara & modicè acria sunt: vt hoc nomine desiccandi & detergendi facultatem, quam illis Galenus adscribit, habere nemo dubitare debeat. Nostri etiam temporis Herbarij calida & sicca esse statuunt. Et mulieres formæ studentes, succo è floribus illorum expresso faciem illinunt, quòd maculas, rugasque, & alia eiusdem vitia mirificè detergeant. Folia gustu non ingrato, in olere, placentulis & acetariis, admodum vtilia capiti, neruis, & humorum ex decubitu putredini, aut inflammationi, eoque vulneratis habetur. Esse Primulas Veris facultate quidem resiccantes, sed calidas exiguum, aut nihil, prodidit Dodonæus.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA PROLIFERA odorata.

Locus ARgentinæ in horto Frid. Meieri Primula Veris *flores* in caule geminos aut trigemi-

nos proferebat, altero alteri innato: *folia* inferiore parte erant valdè hirsuta.

Synon. Tabern. Primula Veris prolifera. Schlusselblûmē mit nebenblûmlin. quasi stirpium ignarus separat à Primulis Veris & alio capite reponit.

Lobel. in Ic. p. 264. flore gemino altero alteri innato.

C. Bauh. Pin. Verbasculum 4. (7. phyt.) flore multiplici, siue proliferum, Primula Veris flore geminato Ger. Eyst. H. Lugd. pag. 835. figuram Lobelij habet priori loco sub Siluarum Primulæ Veris flore multiplici inscriptione.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA, FLORE luteo pleno, odorato.

Primula Veris flore luteo pleno Ges.

DE hac Gesnerus hort. scribit: Primulæ Veris species magis colorata & odoratior, quę Vere floret: cuius genus dasypodium seu densifolium habeo, inquit, quod semen non profert.

Synonymi Tabern. in Icon. & Hist. pingit eam sub titulo Primulæ Veris multiflorę, gefült Schlüsselblûmen.

C. Bauh. Pin. Verbasculum, flore multiplici 1. [5. phyt.] siue hortense multiplex, Primula hortensis Anglica Lobelij. Hanc nos aliam statuimus.

Locus & Tempus. Frequens in variis Germaniæ hortis occurrit: floret maio. Flore maiore obseruauit Argentinæ magis luteo & odorato apud D. Frid. Meierum.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA PALLIDO flore, inodoro, aut vix odoro: Et alia maxima flore pleno.

& loculamenta, vt in illa.

Descriptio. PRimula *flore* pallido radice conuenit cum ea quam in initio descripsimus, vt & *caule*: at *folia* aliquando majora: flores laciniati, pallidi, nullo odore commendabiles, similes floribus Primulæ Veris odoratæ cum singulis pediculis, colore, & magnitudine: semen

Herba

Synonyma

Herba paralysis alba, Brunfels.tom.1.thapſ.15. Secunda & ſylueſtris, Trago: Verbaſculum non odoratũ ſiue alterum, wild Schluſſelblumen/ weyß himelſchluſſel/Fuchſio. Verbaſculum album, Dod.gall. Primula Veris maior, floribus pallidis ac dilutiùs coloratis, quaſi albidis Dod. lat. Antè diximus Dodonæum minùs diſtinctè ſcribere de hac Primula Veris cuius iconem exhibet, qualem Lobel.habet, vti etiam iconem eius quæ pleno flore eſt. Arthritica, Primula Veris, Herba ad paralyſim, Herba Petri Nic. Myrepſi, in fine Hiemis erumpens, pallidior & minùs odorata, Geſn.hort. Primula Veris, Herba Paralyſis elatior pallido flore, Cluſ.Pan.& Hiſt. Primula Veris floribus pallẽtibus & foliis grandiorib.odoris nullius Lob.in Adu.Primula pratenſis luteo pallida inodora in Obſ.p.305. Ic.Pl.p.568. Primula ſilu.3.vel [in ordine] 5.Tabern. Primula Veris, Paralyſis ſilu. Thal. Aliſmatis ſiue Damaſonij genus alterum Plinij: ſecunda ſpecies Fab. Col. Verbaſculum flore ſimplici 2. ſiue pratenſe inodorum C.Bauh.phyt. & Pinace.

Primulæ Veris flos multiplex. Dod. Primula veris elatior polyphyllos ex Anglia in Belgium allata, Cluſ. Primula Veris pallida, in hortis Anglicis & Northmannicis culta, florum maiorum prouentu & fœtu multiplici, triplò aut quadruplò omnium Primularum magnitudine & elegantiâ prima, Lobel. in Adu. Primula hortenſis Anglica omnium maxima & ſerotina floribus plenis. Obſ.p.305.Ic. Plant.pag.567. Primula Veris multiflora ſilueſtris, Primula 3. vel ſilu.1. Tabern. Arthritica pleno flore, Camer. Primula hortenſis Anglica Lobelij, H.Lugd. p.384. Prim.Veris Anglicana fl.pleno Eyſt. C.Bauhin. in Pin. Monuimus antè nos diffidere à Caſp. Bauhino in eo quòd putet Primulam Anglicanam Lobelij eandem eſſe cum odorata flor.pleno: Belgæ & Angli dijudicent.

Locus & Tempus.

Iidem ferè locis quibus lutea odora prouenit pallens inodorata. In pratis circa Tigurum abundat. In Auſtriæ, Stiriæ, Pannoniæq; pratis reperit Cluſius. Montberlgardi in dumetis & ſiluoſis fioret. Aprili.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS EX SINGVlaribus pallidis maioribus ſimplicibus & plenis. Item alia flore albo.

Deſcriptio.

Radix longa, fibroſa guſtu adſtringente, Aniſum redolente, promit multos *pedunculos*, hirſutos, teretes, exalbidos, radicem verſus leuiter purpurantes, ſemipalmares & palmares, quorum faſtigio inſidentè calyculo oblongo pentagono, angulis hirſutis prædito, colore herbaceo, quinquepartitò diuiſo, *flores* ex langueſcente luteo palliduli, vnguibus croceis, quinque foliis cordatis conſtantes, odore ferè euanido, in quorum medio reconduntur altè ſtaminula lutea, piſtillo herbaceo *capitellum* viride proferente: in ſingulis pediculis ſinguli *flores*, ſimiles Primulæ Veris inodoratæ, cui etiam ſimilia folia rugoſa, neruis hirſutis pronam partem percurrentibus, oblonga, obtuſa, ſupinâ parte glabra, ſapore non adeò adſtringente atque radix.

Varietas

Ludere in horto Ill.E.C. Montbelg. obſeruaui florem duodecim foliis cordatis ſtipatum. Ex eodem etiam calyce prodiit flos geminus, ſuo quiſque corniculo nixus: vni quidem folia ſeptena, alteri quina: ipſeque adeò calyx totidem conſta-

bat pinnatis cæſuris, quot ſimul vterque flos foliis. Flore etiam pleno accepi Argentinâ.

Synonyma

Trago dicitur Herba paralyſis ſylueſtris. Geſn. hort. Primula Veris, ſiue Herba ad paralyſim, circa Curiam Rhætorum naſcens, peculiaris, flore ſingulari, non in corymbis: Eidem in ep. ad Fab. Cur. Arthriticæ ſpecies rara, floribus ſingularis, non in corymbis: Item, Arthriticæ ſpecies, ſingulos flores ſingulis pediolis ſuſtinens: In epiſt. ad Zwing. Arthriticæ hybernæ. Dod.gall. Verbaſculum minus, officinarum Primula Veris minor: lat. Primula veris minor, floribus pallidè luteis, pediculis tenuibus.

Herba paralyſis humilis.

Primulam Veris, Herbam paralyſis humilem flore pallido, ſiue ἀχαύλου, Vngaris Kacha verag/ hoc eſt, pultis ex Panico & Milio cõfectæ [quam illi Kacha vocant] florem dictum, Cluſius in Anglia flore omninò nineo conſpexit.

Syluarum primula [Lobel. in Obſ. pag.305. & Ic. Plant. pag.368. inſcribitur.] Tabern. vocat Primulam ſilu.2. Columna, Aliſmatis ſiue Damaſonij genus alterum Plinij.

C.Bauh, phyt. & Pin. Verbaſculum 3. ſiue ſiluarum maius ſingulari flore, Primulam Veris ſilueſtrem flore pallido Eyſt. Herbam paralyſis Cæſalp. Arthriticam caule exiguo, vel nullo, Camerarij. Eidem in Pin. Verbaſculum flore multiplici 2. [6. in phyt.] ſiue ſilueſtre magno plenoque flore, Primula Veris ſyluarum fl. pleno ſpecioſo Eyſt. flore multiplici H.Lugd. Primula Veris multiflora ſilu. Tabern. Prim. Veris fl.pleno Ger.

Locus & tempus.

Circa Curiam Rhætorum tota Hyeme fioret, ſi nix ſinat. Maxima copia in Vngaria cæduis ſiluis & in Anglia flore albo etiam in cæduis ſiluis abundè lactei candoris obſeruabat Cluſius & in Belgium mittebat. Lubentiùs hæc nemoroſa, vmbroſaſque conualles ſectatur: vt in Anglia, Delphinatu & Sabaudia. Flandris & Gallis hortenſis. Bononiæ, Veronæ, Ferrariæ, & Patauij paſſim fioret in hortis menſe Februario, Martio, & Aprili.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS PLENIS ex ſingularibus pediculis.

Deſcriptio.

DE hac antè mentionem fecimus ſub hoc titulo: Primula Veris floribus ex ſingularibus pediculis, &c. Hanc pingit Lobel. in Icon. Pl. pa.265. tom. 2. pro ſiluarum Primula Veris flore pleno ſpecioſo.

Locus.

In horto Illuſtr. E.C. dono D.Frider. Meieri habui, qui Argentinæ aliam oſtendit flore, albo pleno, vnguibus luteis, quæ defloruerat Menſis Maij 14. die.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS OBSCVRE virentibus fimbriatis.

Descriptio

SIluarum Primula fimbriatis *floribus*, rugosisq; plicis, & coloris obscurè virētis, Lōdini hortis frequēs, alioqui assimilis cæteris authore Lobelio Adv. qui in Obs. p. 306. Ic. Plant. p. 569. titulo prę posito donauit. Tabern. dicitur in Ic. & Hist Primula silu. flore viridi, Primula sexta Gesn. hor. Arthriticæ genº odoratum flore virenti: Dod. lat. Primulæ Veris minoris species floribus herbaceis, obscureque virentibus, & quandoque foliis multiplicatis. Icon quæ proponitur à Lob. & Tabern. pro Primula Veris floribus obscurè virentibus flores haber plenos. Quare mirari subit Lobelium non annotasse plenos esse. Ea icon optimè repræsentat Primulam Veris cum floribus plenis ex singularibus pediculis: vereor ne Lobelius viderit siccos flores, in quibus color facilè deperditur, alio successu temporis apparente, si in siccandis non summa diligentia adhibeatur. Summa fuit opera Clusij in annotandis Primulæ Veris differentiis, verùm viridium colore non meminit. C. Bauh. phyt. Verbasculum 4. siue siluarum minus flore singulari, quandoque multiplici: Pin. Verbasculum flore multiplici 3.

Lobel. not.

Icon alia.

cacumine vmbella sedet florum numerosorum semuncialibus pediculis hęrentiū, floribus Auriculæ vrsi respōdentiū, coloris purpurascentis.

Huic per omnia similis minor species, caule trium, quatuórve vnciarum, foliis penè Asines vulgaris & etiā dimidio minoribus, vix apparētibus crenis: floribus paucis, vno sc. duobus, veltribus.

Varietas

Cùm autem in figura nostra Fuchsiana flores minùs benè exprimantur: paruam plantam ex nostris curauimus pingendam, simulque maiorem ex Clusio assumpsimus.

Icon.

Coronarii puniceo-q; ie flores, foliis ad perennem radicem oblongis, inferiùs candicantibus, Cordo in Obs. silua. Arthritica, Primula Veris minor cæruleis flosculis, Gesn. hort. Paralytica alpina, Sanicula angustifolia maior, floribus rubore & candore confusis: primula Veris foliis Gnaphalij montani longioribus: floribus purpurantibus, aut ex roseo & albo confusis micantibus, Viennâ Austriæ à Clusio missa: Item, Sanicula alpina minor, siue media, folio minore tantillùm crenato, floribus non disparibus, Lobel. Obs. pag 307. Icon. Plant. pag. 570.

Synon.

Compilatoris

Compilator Tabern. Primulam Alpinam media, siue secundam: itemque Primulam Alpinam angustifoliam, siue tertiam, confusè ponit cum Auricula vrsi.

C. Bauh. phyt. Verbasculum 8. siue cæruleum vmbellatum: Item, Verbasculum 9. siue Alpinum angustifolium maius: Et, Verbasculum 10. siue Alpinum angustifol. minus. *Eidem in Pin.* Verbasculum Alp 1. siue vmbellatum Alp. minus Maiele, Cordi Obs. Lerchenblümle Gesneri, monente Camerario: Verbasculus Alp. siue cæruleus H. Lugd. pag. 1126. Sanicula Alp. minor siue media Lobelij H. Lugd. Primula Veris flore rubro, Gerardi: Arthritica flore purpureo, Camerarij: Primula Veris angustifolia rubra & alba, Eyst. Item: Verbasculum alp. 2. siue vmbellatum maius: Keyserlin Simleri: Paralitica Alpina, Sanicula angustifolia maior Lobelij H. Lugd. Primula Veris albo flore Gerardi, varians floris colore, albo, rubro, & rubore & candore confuso.

Clusio videtur Gesneri Keyserlin: & Cæsar, inter herbas aut Regulus: Austriacarum rhizotomarū Kreutzblümen, & klein rot schlüsselblumen: Rusticorum Anglorum Birdeein, hoc est, Auium oculi, teste Pennæo.

Sponte magna copia prouenit in vliginosis & humidis

PRIMVLA VERIS MINOR purpurascens.

Descriptio.

FIbrosis Primulę vulgaris *radicibus* hæret, è quarum capite *folia* pullulant numerosa terræ incumbentia, sexūtali lōgitudine, latitudine vnciali circū circa serrata, subtus incana & neruorum viridātium discursu, virgata, superiùs virentia: inter hæc *caules* surgunt plures dodrantales & breuiores, nudi, enodes, in quorum

tate,sed ab omnibus tribus diuersam esse testantur Cornarius, & Tragus.

Struth. silu. Pinxit Botan. Hær.Egenolphi p.101. Fraxinellam sub inscriptione Struthij siluestris, wild Seyffenkraut/ & Speychelkraut.

Dors.nostr. Dorsthenium nescisse quid scriberet, id demonstrare videtur, quòd iuxta nomen Dictamni, Lipwurtz/ Gichtwurtz/ & waldlisie posuerit Fraxinellam,& ab altera parte Polygonatum: ex descriptione, quam habet, apparet eum nomina prædicta confundere. Si præterea caruimus, vt ipse ait, germana Dictamno, quis docuit ipsum tempus colligendi ad distillationem? In Germania, Gallia, & Italia, non prouenit vera seu germana Dictamnus, quæ distillari possit.

Brunch. tab. Apud Hieron. Brunschvveig in edit. anni 1505. malè Polygonatum pingitur sub his nominibus, weiß wurtzel/ græcè Batis aut Diptamus,germ. Diptam/ aut weißwurtz nomine falso Schwartz Diptam/Lipwurtz/Edele luminadi/vel potiùs lumbart, vt habet impressio anni 1530. in qua meliùs Fraxinella exprimitur. Quin & Apollinaris in vna editione Polygonatum,& in altera Fraxinellam pictam proposuit.

An natrix Plinij Anguillaræ?

Synonyma. Dictamnus putatus est Brunfelsio. Dictamnus vulgaris dicitur Trago, Gesner.hort. (cui & Fraxinella Italorum,& Rurpodij Chamæmelia, h.e.Fraxinus pumila,& Tragium Coldenbergij.) Camer. Lonic. [cui & Pæonia mascula] & Officinis. Dictamnus nostra Cordo in Dosc. Dictamnus albus Matth. Lac. Cæs.& Castori Diptamnum album Bello. Tragium Dodon.gall. Tragium Creticum, Guil.theone. Polemonium Tabern. Fraxinella Cordo hist. Dod.lat. Hist. Lugd. p. 872. Clus. Pan.p.54.& Hist.Ger.& Eyst.

Locus In Italiæ ac Germaniæ montibus ac collibus lutoso ac saxoso reperitur folio. Illius passim in Pannonicis siluis, saltibúsque Viennensibus inueniuntur duo genera. Apud Belgas hortensis est.Floret Iunio:post semen prouenit.

Tempus. Iisdem cum vulgari Pæonia pollere viribus, Tragi authoritate concludimus. Venenis omnibus aduersatur. Radix,inquit Matthiolus, cuius vsus est,amara est: valet aduersus venena, & venenosorum animalium ictus. Necat interaneorum vermes drachmæ pondere hausta:datur contra frigidos vteri morbos, nam & menses & vrinas mouet,partus adiuuat,secũdas & emortuum fœtum educit, tum supposita,tum cum Pulegio suffita,tum ex vino meraco duarum drachmarum pondere pota.Valet quoque ad alui torsiones,& ad ejiciendos renum calculos. Additur quoque vtiliter in potionibus internorum vulnerum. Datur comitialibus,& in alijs cerebri affectibus. Præstat contra pestilentiæ contagia,quoquo modo sumatur. In summa ad multa radix vtilis est: Siliquæ & flores contactu pruritum faciunt.& in calidioribus regionibus cutem exulcerant. Dodonæo radix excalfacit & siccat ordine secundo, digerentis, attenuantis & aperientis est facultatis: conferre & stomachis & anhelosis fertur, & aduersus lethalia medicamenta antidotis vtiliter permisceri.

Vires & vsus.

PRIMVLA VERIS ODORATA FLORE luteo simplici.

Cap. CXXV.

Descriptio. PRimula Veris hæcce odorata è *radice* modicè crassa, inæquali, rubente, sapore subastringente, odore suaui,aromatico, fibris albis longis donata: *folia* profert per terram sparsa, oblonga, subrotunda, rugosa instar Betonicæ, sed maiora: in quorum medio *caulis* surrigitur palmaris aut dodrantalis, vnus pluréve, leuiter hirsutus,teres foliis nudus, in cuius fastigio *flores* quini, septeni, aut etiam duodeni ex oblongis calycibus in viridi flauis, lutei, odorati, simplices, in quinque lacinias diuisi, vel multiplices aliquando, in quorum medio apices crocei, ac stylus viridis: quibus marcescentibus succedunt *semina*, quæ Tabernæmontano parua & nigra dicuntur.

Arthritica prior Ruell. Cuculi, bracula Primuleria Viola Tusca. Ruellio est Arthritica prior, à floribus primo Vere statim emicantibus, officinis Primula Veris dicta,Ruri Cuculi bracula aut Primuleria. Luteæ Violæ genus quoddam is esse credidit, suspicatúsque est esse Violam Tusculanam, quòd ea cùm cœlum silet,& tempus serenat, exitu Hiemis necdum exactis frigoribus, erumpat, & vt prima vernas texat corollas. ita confestim fugax euanescens, vt in medium Ver vix decorem suum proroget: Vita ei complurimùm menstrua, nec temerè ad summum sesquimensem excedit. Nec desunt qui Phlomides coronarias esse contendant, sed notæ iam memoratæ non consentiunt.

Herba Paralysis Brunfelsij. Brunfelsius multa subinde apud autores de Paralysi herba [sic enim vocat tom. 1. Rhaps. 15.] se vestigasse iactat, & plurima cum Herbariis contulisse, verùm nec quicquam comperisse, quod ad stomachum faceret suum. Nomen ignotum Veteribus ait, & Barbaros iam insciтè, tam ineptè,confusaneq; omnia miscuisse, vt maius etiam negotium fecerint &c.

Quod in Dioscoride & Plinio, Herba paralysis nomen habeat, Trago non constat. An verò Britannica sit Plinij, aut Bertanich Auicennæ doctioribus discutiendum relinquit, ab illis enim eruditi de veritate cupit. Apud Phrisium Chelidin, Taxifilon: Opiperam, Chelidium, & Germanicâ voce fastenblumen, h.e. Quadragesimalem florem nominari refert.

Et quamuis sint qui putent, vt Ruellio, Fuchsio, & recentiorum aliis placet, hanc vulgaris notitiæ plantam, quæ in quibusdam Bracha cuculi, officinis Primula veris, Germanis Clauis sanctæ Petri appellatur, esse Dioscoridis Phlomidem, eorum tamen sententiæ haudquaquam adstipulandum censet Matthiolus: Siquidem huic folia non insunt hirsuta, nec etiam rotunda, sed rugosa & oblonga. Addendum putat quòd florum, quos hæc proferat, nusquam meminerit Dioscorides, neque è Veteribus alius. Id quod, eius quidem iudicio, silentio inuoluendum non fuerat. Matthiolus eadem hæc de Primula Veris caulifera, pallido flore inodoro intelligit, quam infrà describemus.

Matth. nõ dirguitur. Sed cùm in eos inuehitur,qui inter Verbasci, species numerant duas illas plantas (Primulam Veris odoratam & inodoram)colore florum differentes,quæ primæ omnium Vere florent: quæque Herbæ paralysis vulgò vocantur: non re& à reprehensione [vt Maranthæ videtur] vtitur, dum inquit, si Verbasci essent species, eius flores essent omninò à Dioscoride descripti, quamuis [vt Maranthæ in hac re sententiam proferamus] in aliis notis eorum placitum non ex omni parte acceptandum existimet.

Neoterici prima Phlomidum genera Dioscoridis, censent eam herbam (inquit Spieg. Isag.

lib.1.cap.25.) quæ Paralytica & Arthetica vulgò dicitur, cuius multæ sunt species. Verùm non vident Dioscoridem his folia tribuisse hirsuta, quæ in nostra Paralysi desiderantur. Sunt enim aut læuia, aut crispa Lactucæ modo, hinc Lactuca silv. in regione Patauina vocatur.

Dorsth. error. Dorsthenius graui errore, deceptus vt puto lectione Brunfelsij, Margaritæ nomen adscribit Herbæ paralysis, licèt postea dicat Margaritam esse Bellidem.

Dod. taxatur. Dodonæus, vt nobis videtur, minùs distinctè scribit de Primulis Veris: oportebat eum inter alia indicare eam quæ flore eleganter est luteo, jucundè odorato cuius iconem omisit. Primulas, cum Matthiolo & Spiegelio, non hirsutas ait, contrarium tamen asserit Lobel. & quasdam hirsutas esse pronunciat. Nominantur, inquit, arteticæ, & Herbæ paralysis, quòd ad artuum & neruorum dolores conferre existimantur. Quæ maior est, à nonnullis Herba S. Petri dicitur. Altera Primula Veris minor appellari consueuit. Ad φλόμιδες, Latinis Verbascula dicta, à plerisque referuntur, sed cùm folia eius nec hirsuta, nec rotunda, ægrè eò pertrahuntur, &c.

Synon. Cæterùm, dicitur Herba paralysis Brunfels. Cast. descr. Herba paralysis vulgaris Trago, altera Cæsalp. Primula Veris Matth. H. Lugd. p.834. Tabern. hortensis Thal. Primula Veris maior fl. luteis odoratis Dod. Primula Veris flauo flore elatior Clus. Pann. & Hist. post. Primula Veris flore luteo Eyst. Primula pratensis Lob. in Obs. p.305. Ic. Plant. p.567. odora lutea in Aduers. Gerardo. Verbascum odoratum Fuchs. Dod. gall. Verbascum flore simplici 1. siue pratense odoratum. Arthritica Gesn. hort. simplex luteo flore Camer. hort. Alisma pratorum Columellæ. Dodecantheon Anguill.

Locus & Tempus. Vbique in pratis vliginosis & riguis, præsertim regionum minùs calidarum, vt Sabaudiæ, Flandriæ, Galliæ, Northmanniæ & Angliæ primo Veris tempore florent, referente Lobelio. In Austriæ Stiriæ, Pannoniæque pratis & herbosis montanisque locis atque siluis Primulæ Veris Herbariorum genera nascuntur, elatior vtraque atque humilior, authore Clusio. Basileæ, Geneuæ, & Lugduni floret Martio & Aprili.

Vires & vsus. Recentiores duobus Verbascvlis hos effectus assignant. Trita imponuntur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto vesicæ renumque obstructiones soluuntur. Ius herbæ propinatur & illinitur aduersus rupta, luxata, & liuentia. Quod verò hæc eadem possint, temperamentum eorundem palam docet: parum enim adstringunt: si gustaueris, amara & modicè acria sunt: vt hoc nomine desiccandi & detergendi facultatem, quam illis Galenus adscribit, habere nemo dubitare debeat. Nostri etiam temporis Herbarij calida & sicca esse statuunt. Et mulieres formæ studentes, succo è floribus illorum expresso faciem illinunt, quòd maculas, rugasque, & alia eiusdem vitia mirificè detergeant. Folia gustu non ingrato, in olere, placentulis & acetariis, admodum vtilia capiti, neruis, & humorum ex decubitu putredini, aut inflammationi, ecque vulneraria habetur. Esse Primulas Veris facultate quidem resiccantes, sed calidas exiguum, aut nihil, prodidit Dodonæus.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA PROLIFERA ODORATA.

Locus ARgentinæ in horto Frid. Meieri Primula Veris *flores* in caule geminos aut trigemi-nos proferebat, altero alteri innato: *folia* inferiore parte erant valdè hirsuta.

Synon. Tabern. Tabern. Primula Veris, plifera. Schlusselblúmẽ mit nebenblúmlein. quasi stirpium ignarus separat à Primulis Veris & alio capite reponit.

Lobel. in Ic. p.264. flore gemino altero alteri innato.

C. Bauh. Pin. Verbascvlum 4. (7. phyt.) flore multiplici, siue proliferum, Primula Veris flore geminato Ger. Eyst. H. Lugd. pag. 835. figuram Lobelij habet priori loco sub Siluarum Primulæ Veris flore multiplici inscriptione.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA, FLORE luteo pleno, odorato.

DE hac Gesnerus hort. scribit: Primulæ Veris species magis colorata & odoratior, quę Vere floret: cuius genus dasypodium seu densifolium habeo, inquit, quod semen non profert. *Primula Veris odorata flore pleno Gis.*

Tabern. in Icon. & Hist. pingit eam sub titulo Primulæ Veris multiflorę, gefüllt Schlüsselblümen. *Synonyma*

C. Bauh. Pin. Verbascvlum, flore multiplici 1. [5. phyt.] siue hortense multiplex, Primula hortensis Anglica Lobelij. Hanc nos aliam statuimus.

Locus & Tempus. Frequens in variis Germaniæ hortis occurrit: floret maio. Flore maiore obseruaui Argentinæ magis luteo & odorato apud D. Frid. Meierum.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA PALLIDO flore, inodoro, aut vix odoro: Et alia maxima flore pleno.

Descriptio. PRimula *flore* pallido radice conuenit cum ea quam in initio descripsimus, vt & *caule*: at *folia* aliquando majora: flores laciniati, pallidi, nullo odore commendabiles, similes floribus Primulæ Veris odoratæ cum singulis pediculis, colore, & magnitudine: semen & loculamenta, vt in illa.

Herba

HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM LIBER XXXI.

NERVIFOLIA, VT PLANTAGINES, GENTIANÆ, POLIGONATA, HISQVE NONNIHIL SIMILES.

PEracta sanè magna ex parte Coronariarum natura est, quarum ineffabiles varietates non minùs ostendendo nos placuisse speramus, quàm naturam eas præbendo, cùm hunc genium nobis largitus sit D. O. Max. vt à se largitas indagaremus curiosiùs ipsi, vt ostenderemus aliis. Nunc aliò gressus dirigendus. Est vbi ex fructu, est vbi ex flore, est etiam vbi ex radice stirpium classes meliùs æstimes: nunc ad folia maximè respicere lubet. Ergo, hercle, has nunc perlustremus, quarum folia ceu parallelis costis atque neruis nobiliter instructa sunt, & his affinitate proximas. Quanquam si & aliò respicere lubeat, est vt spicati aut caudati culminis similitudinem in pleriſque contempleris.

PLANTAGO VETERIBVS.

CAPVT I.

THEOPHRASTVS simpliciter Arnogloſſum vocat, aliquando Stelephuron, vtrumque verbum à Theodoro Plantago vertitur. De Arnogloſſo inquit: Ab radice tantùm foliata est: prorogat suos prouentus èx singulis floribus: alibi Stelephuros, inquit, spicosa, quæ Agnina lingua à quibusdam vocata est, & ab aliis Coturnix (Conturnix Cæs.) similis caudæ vulpinæ, nisi quòd florem non particulatim edit, sed per totam spicam, Tritici modo: flos lanugineus, vt Frumenti: Genere autem conuenit cum Oculo canis, & Bibinella, & Cauda vulpina, quæ spicam gerunt, non acutam, neque aristatam totâ formâ cum Tritico similia, sed latiore folio.

Plinius seorsum de Plantagine & Stelephuro agit: nam Stelephuros, inquit, proxima est Caudæ vulpinæ, nisi quòd illa particulatim floret. Alibi duo genera Plantaginis tradit, minorem & maiorem. Verba eius lib. 25. cap. 8. sunt hæc: Celebrauit & Themiſon Medicus vulgarem herbam Plantaginem, tanquam inuentor, volumine de ea edito. Duo eius genera, minor angustioribus foliis & nigrioribus linguæ pecorum simillimis, caule anguloso, in terram inclinato, in pratis nascens. Altera maior, foliis laterum modo incluſa: quæ quia septena sunt, quidam eam Heptapleuron [ἑπτάπλευρον, h.e. Septineruiam] vocauêre. Huius & caulis cubitalis est & anguloſus. Nascitur in humidis multò efficacior. Vis mira siccando densandoque corpore, cauterij vicem obtinens. Nulla res æquè sistit fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant. Ita habet vetus Plinij codex, qui Dioscoridem, miras huius herbæ facultates tradentem variis aliis in locis sequitur & declarat.

Cæterùm, caput Dioscoridis [quod nonnulli codices περὶ ἀρνογλώσσου ἑπτάπλευρου inscribunt, alius verò codex πολυπλεύρου] sic habet. Plantago (ἀρνόγλωσσον. Orib. εἰ ἢ ἑπτάνευρον, εἰ ἢ πολυπλεύρου:) duûm est generum: minor enim vna est, maior altera. Ac minor quidem foliis prædita est anguſtioribus, minoribus, mollioribus: cauliculis verò anguloſis, ad terram inclinatis: floribus autem pallidis, ac semine summis caulibus emicante. At maior (πῶ ἢ μεῖζον. Sunt antigrapha, in quibus periodus à τὸ ἢ μεῖζον, vsque ad γένηται, h.e. nascitur, deest: sed teste Sarraceno, retinenda sunt omnia:) & amplior lætiorque est, & latifolia, in oleris vsum apta [λαχανώδες: Ald. λαχανοειδὲς:] Caulis huic anguloſus, subruber, cubiti altitudine, à medio ad verticem tenui semine circumdatus. Radices subiacent teneræ, hirsutæ, candidæ, digitali crassitudine. Nascitur in paludibus, sepibus, ac locis vliginoſis. Maior (μέγα vet.) porrò efficacior est. Vim habent folia exsiccatoriam & adstringentem. Quare omnibus malignis, elephantiasin comitantibus, fluxioni opportunis, sordidisque vlceribus illita conueniunt. Cohibent & sanguinis eruptiones, nomas: carbunculos, herpetas, & epinictidas, vetera quoque & inæqualia vlcera cicatrice obducunt.

Chironia sanant & sinus agglutinant. Morsibus canis ambustis igni, inflammationibus, parotidibus, panis ac strumis quoque & ægilopiis cum sale imposita prosunt. Coctum verò olus cum sale & aceto sumptum, dysentericis, cæliacísque subuenit. Datur & in locum Betæ (διδοται &c. Hæc vsque ad ἡ ἀδραστικὴ δύναμιν, h.e. & suspiriosis data, in veteri margine reperiuntur, Sarrac.) cum Lenticula [μὴ φακῆς] decoctum. Exhibetur & herba decocta ad aquam intercutem, cui Leucophlegmatiæ nomen est, post sicciorum alimentorũ esum, ita tamen vt media cibis interueniat. Comitialibus quoque & suspiriosis data proficit. Foliorum succus oris vlcera repurgat, si subinde colluatur. Cum cimolia aut ceruſſa erysipelatis medetur: fistulis infusus auxilio est: prodest & ad auriũ dolores atque ophthalmias, seu instillatus, seu in collyria additus. Sanguinantibus [sanguine putrescentibus, Plin.] quoque gingiuis, & sanguinem supernè rejicientibus potu confert: clystere verò dysentericis (vet. addit phthisicis & dys.) infunditur. Contra tabem datur in potu, aduersus strangulationes vuluæ subditur in vellere: quemadmodum & si vulua rheumatismo laboret. Semen ex vino potum alvi profluuia & sanguinis excreationes sistit. Decocta radix seu colluta, seu commanducata, dentium dolores sedat. Eadem cum foliis ad vesicæ renúmque vlcera in passo datur. Cæterùm, ferunt ternas radices cum vini ternis cyathis & aquæ pari modo tertianis febribus, itémque quaternas quaternis auxiliari. Sunt & qui radice vinculo è collo suspensa amuleti instar vtantur ad strumas discutiendas. Syri huius (leguntur hæc ad capitis calcem inter notha) & Calaminthæ jusculum cum melle prodũt mederi paralyticis [febrib⁹, Corn.] si secundâ & quartâ paraſceues, i.e. Veneris die exhibeatur. Hoc autem velut arcanum accipito: est enim verissimum & experientiâ comprobatũ.

Galen. At vt eas vires habeat plantago, quas Dioscorides & Plinius ipsi attribuunt, temperamentum eius mixtum facit: habet enim (vt Gal. 6. simpl. pharm. ait) aquosum quiddam frigidum, habet *Temperam.* & quid austeri, quod terreum est, & siccum ac frigidum, vt refrigeret simúlque siccet: & secundùm ambo secundi est à mediis abscessus.

Macri Poësis. De Plantaginis virtutibus elegantissima est Macri Poësis, quæ sic habet:

Herbam, quæ nostra lingua Plantago vocatur,
Hanc ἀρνογλῶσσον Græcus vocat, est quia linguæ
Agninæ similis foliis. Plantaginis huius
Etymon. Sunt geminæ species, & maior prima vocatur:
Altera verò minor, quam vulgò lanceolatam
Dicunt, quòd foliis, vt lancea, surgat acutis.
Temperam His inflammandi, desiccandique videtur
Vulnera. Tertius esse gradus: maiorem vim tamen esse
Maiori dicunt: nimis humida vulnera siccat, &c.

Nomina linguarum. Cæterùm, ἀρνογλῶσσον Græcis dicitur & Latinis, quòd folia eius agninæ linguæ similima sint: Nonnulli tamen Arnion (ἄρνειον, quasi agninam,) alii Probation (προβάτειον, quasi ouillam) alii Cynogloſſon (κυνόγλωσσον, quasi canis linguam,) alii Heptapleuron (ἑπτάπλευρον, quòd septem fibris seu costis in dorso distincta sit:) alij Polyneuron (πολύνευρον, quasi multineruiam) appellant. Magi Caudam ichneumonis, Aegyptij Aschat, Romani Plantaginem, ducto à planta vocabulo.

Plantago. Germani ab agni lingua Schaffzungen, sed vulgò wegerich: Belgæ wechbre/wegheblat: Galli *Plantain*, & vt inter notha legitur, *Turbidolpion*: Itali *Piantagine*, & *Plantagine*: Hisp. *Lhantem Tamehagem*: & voce spuriâ *Thesaricam*: Pœni A-

Viarum herba. *tiircon.* Angli Plantayne, Bohemi Gitrocel: Hungari, Vti fiu, h.e. Viarum herbam. Neque aliæ maioris Plantaginis extant appellationes, nisi quòd quandoque Rubra cognominatur. *Quinquenerua.*

Minor Plantago πεντάνευρος, siue Quinqueneruia, & Lanceola, siue Lanceolata: Germanis *Lanceola* Spitziger wegrich: Gall. *Lanceole*: Belgis houts ribbe: i.e. Costa canina: Anglis, Ribbewort: Hung. Hozzu vti fiu, appellatur.

Paucis, vnaquæque Plantago suum hodie retinet nomen.

Est enim Plantago maior folio glabro.
Plantago Rosea.
Plantago maior panicula sparsa.
Plantago marina magna.
Plantago rosea exotica.
Plantago maior hirsuta & media.
Plantago quinqueneruia cum globulis albis pilosis.
Plantago incana & lananuginosa minor.
Plantago lanceolata foliis lanuginosis, & longis pilis hirsutis.
Plantaginis lanceolatæ species minima.
Plantago latifolia minor.
Plantago angustifolia maior, caulium summitate foliosa, & alia spicata.
Plantago angustifolia minor, spicâ hirsutâ albâ, foliis ex atro virentibus valdè villosis.
Plantago angustifolia alpina.
Plantago vmbilicata.
Plantago Indica, Payco actis.
Plantago maritima à Dodonæo exhibita, quæ depingitur à nobis Coronopi marini nomine.
Plantago aquatica, cuius varias species trademus lib. 38.

Qualis sit Fistula pastoris, Plantago Italica, Damasonium, Alisma, welsch wegrich, Eucharij Roslin pronunciare nondum queo. Barba siluana à recentioribus Medicis inter Plantagines aquaticas reponitur. Nos Sagittam vocamus. Sunt qui Bifolium maius Plantaginem palùstrẽ appellent lib. 38. Alii verò qui Plantaginem alpinam quorundam vocent Alisma.

PLANTAGO MAIOR FOLIO GLABRO, non laciniato, vt plurimùm.

Descript. Digitali crassitudine *radix* est, lateratim, vt Lobel. ait, fibrosa, candida, & in medio præcisa, siue mutilata, Morsûs Diaboli fermè modo: *folia* rotundiora, sui medio latiora, glabra, septem neruis distincta, humi accumbẽtia, sapore, vt mihi videtur, aspero, cum aliqua acrimonia & amaritudine: *caules* pedales, lenti, thyrsum & veluti spicam florum stamineorum albi-

albicantium, Lobelio obscurè purpureorum & pullorũ, proferunt: *semen* sublongum, obsoleti coloris, Lob. Portulacæ pusillum fuscũ aut rugineũ.

Synonyma

Trago, Fuschs. Corn. Turn. Matth. Anguill Dodon. gall. & lat. Lon. Camer. hort. Tabern Schuuenkf. & Castori dicitur *Plantago maior* Brunfels. & Trago Plantago rubea. Plantago latifolia Cordo in Dioscor. & Gerardo. Arnoglossa & Plantago maior latifol. Lob. Plantago vulgò Cẽtineruia Cæsalp. Plantago πολύνευρος maior seu rubea, Thalio. Plãtago 1. siue latifol. maxima sinuata C. Bauh. phyt. Eidem Pin. Plantago latifol. 2. siue sinuata. Schuuenckf. ἀρύγλωσσον Dioscoridis. Ab omni memoria peruagatæ notionis, ex vtilitate & feracitate vbiuis gentium penè immensa. Plurima humectis locis, in aruis, hortis, secus itinera, & sepes.

Locus

Tempus

Iunio floret, semen Augusto dat. Mistæ est temperaturæ, inquit Schuuenkfeldius. Habet enim quiddam aqueum frigidũ, quiddam verò & austerum, quod terreum & siccum. Refrigerat & desiccat ordine secundo. Olus coctum estur. Dysentericis & cœliacis benefacit. Comitiales & asthmaticos iuuat. Cum Lente Alicæue sorbitione stomachũ roborat, & hydropicis, qui leucophlegmatia laborant prodest. Vulneria est herba, vlcera & fistulas sanat. Succus aurium doloribus, & lippitudinibus oculorum vtilissimè instillatur. Gingiuis sanguinolentis, & sanguinem reiicientibus potus confert, phthisicis & tabidis salubris. *Radix* crassiorum est partium, minùs refrigerat, siccat & nonnihil abstergit. Dentium dolores mulcet collutione. Iocinoris obstructiones tollit. Renum & vesicæ vlcera sanat. *Semen* siccioris est facultatis & minùs frigidæ, subtiliumque partium. Alui fluxus, dysenterias & vteri hæmorrhagiam sistit. Liquor stillatitius calidas podagras in primo impetu mirificè lenit: Hydropicis vtiliter bibitur.

Vires & Vsus.

PLANTAGO ROSEA.

Descriptio



PLusquam pollicari *radice* perennat: *folia* per terram spargens Plantaginis latifoliæ, pilosa & neruosa: inter quæ *caules* surrigit satis crassos, hirsutos, in quorum fastigio folia crebra, inferioribus dimidio minora, interiore orbita. Alsines, admodum parua, virescentia, Rosam deformãt.

Cæsalp. vocauit Plantaginem foliato caule, frequentem in Germania. Dod. Plantaginẽ cum spica Rosæ instar. Plantaginem roseam spicatam Ger. & Eyst. Plantaginem multiplicem Tabern. Ic. & Hist. Plantaginem roseam Lob. in Adu. Plãtaginem roseam vulgarem, sine icone & descrip. Clus. Hist. post. Plant. roseam Penæ H. Lugd. p. 1256. Plantaginem 2. siue latifoliã maximã roseo flore C. B. phyt. Idem Pin. Plantaginem latifoliã 3. siue roseam, floribus quasi in spica dispositis.

Basileæ Iunio mense florentem vidi in vase satam à Theod. Zvvingero. In horto Ill. E. C. rosa viret Augusto.

PLANTAGO MAIOR PANNICVLA sparsa.

Descriptio

SOla differẽtia Belgicis agris & hortis, in pannicula spicatim sparsa, onusta innumerâ herbaceorum flosculorum, racematim cohærentium, fœturâ.

Dicitur Lob. Obseru. p. 162. Plantago rosea pannicula sparsa: Sarathrodes & Coremaphora, siue Scoparia Gemmæ: Roseæ Plantaginis varietas. Ic. Plant. p. 305. Plantago panniculâ sparsa. Dod. gall. Plantaginis primæ siue maioris species alia. Lat. in fol. Plantago maior spicâ multiplici. H. Lugd. p. 1256. Plãtago rosea Lob. C. B. phyt. Plãtago 4. siue latifol. maior spica multiplici. Eid. Pin. Plã. lat. 6. siue spica multipl. sparsa.

Plantago marina magna.

Spithamæis pediculis nituntur *folia*, pari cum pediculis longitudine, palmum lata, acuminata, crassa, septem neruis donata, sapore cum Plantagine septemneruia terrestri eodem, nisi admixta esset salsedo quædam: *caules* cubitales, nudi, thyrsis longis *florum* insignes, quos *semina* sequuntur, iam dictæ Plantaginis similia: Hanc situs loci fortè diuersam facit videri à vulgari Plantagine maiore glabra.

Apud mare florentem vidi mense Maio, semenque proferentem Augusto.

PLANTAGO ROSEA, FLORE EXPANSO.

Descriptio

HVius florem addidit Camerarius apud Matthiol. in Hist. germ. & Epit. Plantagini maiori. In horto vocauit Plantaginem roseam. Sic quoque Lobel. in Icon. Plant. p. 304. appellauit, & Eyst. Plantag. roseam exoticam Gerard. Plant. latifoliam 4. siue roseam

C. Bauh. net.

flore expanſo C. Bauhin. in Pinace. *Apparet* C. Bauhinum loco citato non parum titubare, dum Plantaginem roſeam Aduerſariorum ad hanc refert: dúmque rurſus eandem [Plantaginem roſeam Penæ, H. Lugd. p.1256.] ab hac nobiſcum ſeparat. Ipſum eadem Icon, eadémque verba ſatis redarguunt.

Eandem cum prædicta, aut certè valdè ſimilem Cluſius deſcribit vocátq; Plantaginem 2. ſiue latifoliam exoticam, Plantaginem peregrinam latifoliam Gareti.

PLANTAGO MAIOR HIRSVTA, MEDIA à nonnullis cognominata.

Icon. Guarin.

Icon Lobel.

Deſcriptio

Synonima

Matt. not.

Plantago minor.

MInimi digiti craſſitudo eſt *radici* fibratæ, rectæ, adſtringenti: *folia* lata, neruoſa, vtrinque lanugine tenui caneſcunt: *caules* recti, cubito altiores, terètes, hirſuti, inanes, ſpicam geſtant, muris maioris caudæ quadantenus ſimilem, *calyculorum* agmine denſo compactilem, qui in quaterna foliola ſubpurpurea explicati ſtamina concolaria, apicibus autem albis, oſtentant.

Brunfelſ. tom. 1. rhapſ. 1. Lonic. & Camer. Plantago maior. Hiſt. Lugd. p. 1254. Plant. maior Matth. Fuchſ. Geſner. hort. Dod. Schvv. & Matthiol. h. germ. (vbi figura tranſpoſita, & poſita ſub titulo maioris.) Plantago media. Thal. Pl. media Dodonæi. Trago Plantag. media vel 2. & latifolia: Eid Hiſt. germ. Plant. media vel alba, Dioſcoridis & Plinio fortè non nota. Cordo in Dioſcor. Plantago 3. latifoliæ ſimilia habens folia, multò tamen minora & leuiter hirſuta. Tab. Ic. & Hiſt. Plantago minor Dioſcoridis: Plant. 4. Lingua ouina. Lobel. in Adu. & Ger. Plantago incana. Lobel. in Obſ. p. 162. Icon. Plant. p. 304. & Cluſ. hiſt. Plantago maior incana. Turn. Plant. minor. C. Bauh. phyt. Plantago 3. ſi e latifolia 3. ſiue incana: Eid. pin. Plant. latifolia 3. ſiue incana: Cynogloſſa quorundam, Lugd.

Ἀριόγλωσσον μέσον, Plantago quinqueneruia, mittel wegerich / wegebreit / wegetrit (inquit Schvvenckf.) in hortis & ſecus vias, vt maior glabra, naſcitur, eiuſdem facultatis. In Germania abundè frequens. Æſtatis tempore, vt cæteræ, conſpicua, atque vnà cum ſpica reperitur: Hyeme quoque, vt aliarum, ſola reſtat radix, haud facilè periens, teſte Dodonæo. Locus. Vires & vſus

Quum Plantagines refrigerent, repellant, adſtringant, & glutinent, haud conſuluerim applicandam commorſis à cane rabido, aut à ſerpentibus, licèt multi Neotericorum ad eos morſus cómendent. Morſibus canis [inquit Schvvenckf.] ambuſtis, inflammationibus, calidis podagris, folia conueniunt. Tuſa addito ſalis modico luxatis dolores & tumores tollunt.

PLANTAGO QVINQVENERVIA CVM globulis albis piloſis.

Deſcriptio.

NVmeroſa per terrá ſpargit *folia*, quinqueneruia hirſuta, coëuntibus pediculis in caput radicis, ita vt propter tométum coïtus vix appareat: latitudo iis ſemũcialis, longitudo ſextantalis: *caules* multi, alij erecti, alij ſupini, palmares & ſpithamæi, capitula geſtant, tomento albo villoſa, iulos Salicis imitata.

Synon.

C. Bauhin. phyt. vocauit Plantaginem 8. ſiue Plantagini ſimilem alteram. Pin. Plant. anguſtifoliam 8. ſiue panniculis Lagopi. Synonyma

Floret menſe Aprili ad ripam lacus Aluenſis, montem Seti, & Balneum Baleructi, vbi obſeruaui cùm eſſem Monſpeſſuli. Tempus

Plantago incana & lanuginoſa minor.

Vulgari minor foliis incanis, multáque lanugine obductis, humi ſtratis, maxima anni parte caule vidua, & floris expers: inter multas tamen plantas, nonnullas animaduertebat Cluſius Maio menſe ferentes exiguam ſpicam Plantaginis inſtar, minorem, plenam florum palleſcentium. eius radix tenuis, longa & nigra erat. Dioſc.

C. Bauhin. phyt. Plantago 6. ſiue Salmãticenſis: Eid. pin. Plantago latifolia 10. ſiue villoſa, ſeu incana lanuginoſa. Tempus

In collibus Salmanticæ vicinis, aliis item Caſtellæ locis aridis obſeruabatur à Cluſio. Locus.

* *
*

PLANTAGO

PLANTAGO LANCEOLATA.

Descriptio

PLantago quinqueneruia longiusculam & fibrosam *radicem* demittit: caules Maiori pares, profundè striatos, subhirsutos: *florem* Maioris æmulum: *folia* verò plurimùm differentia, lanceæ mucronem referentia, longis pediculis appensa, oblonga, stricta, raris crenis leuiter serrata, hirsuta, quinque neruis longitudinem folij percurrentibus, auersa parte conspicuè elatis: sapor subdulce quid mandenti offert, cum adstrictione. Πενταδρον græcè, Quinqueneruiâ latinè cognominare solent, eò quòd eius folia, fibris quinque tanquam neruis, distincta sunt:

Officinæ quoniam folium arctiùs desinit in acumen, & veluti in lanceæ mucronem fastigiatur, Lanceolatam; vulgus autem Lanceolam appellat. Germani Klein oder Spitziger wegerich vocant, quia sc. acuminatior & longior est: & ad equinæ costæ similitudinem Rossripp: Galli *Petit Plantain.*

Brunfelsij figura Plantaginis minoris tom. 1. rhapsi. non placet. Fuchsius pro minore mediam pingit.

Synon.

Dod. gall. & lat. Gesn. hort. Schvv. Lon. & Lac. Plantago minor. Cast.. Plantago media. H. Lugd. p. 1255. Plantago minor, longa Matthioli: Item, Plantago minor Dod. Corn. Lob. Adu. Obs. p. 163. Ic. Pl. p. 305. & Gerardo Plantago quinqueneruia. Cordo in Dioscor. Plantago angustis oblongisque foliis. Trago, Plantago lanceolata, Plant. 2. vel minor, & Lanceola, Quineruia Manlij, Herlatum, Megebora & Herba Martis Phrysij. Matth. germ. Plantago longa, vulgò lanceolata. Anguill. Plantago altera dicta Lanciuola. Tab. Ic. Plant. Lanceolata: Eid. Hist. Lanceola & Lanceolata, Costa canina. C. Bauh. phyt. Plantago 9. siue angustifolia maior: Eid. pin. Plantago angustifolia 1. siue maior, Lanceola Maior Cæsalp.

Duplex Eid.

Plantaginem μειζονα, minorem, seu lanceolam, Thalius duplicem facit. Maior, inquit, folia profert bipalmaria, sæpe duarum vnciarum latitudine ferè, quæ quandoque in ambitu vel pinnullis quibusdam paruis exornantur, vel omnino sine illis existunt. Altera minor folia breuiora habet & strictiora. C. Bauhinus variare ait, spicis aliquando bifidis: aliquando loco spicarum, capitulis mirè variantibus.

Locus.

Passim prouenit locis & viis incultis. Floret initio Æstatis, semen Augusto legitur.

Sicciore est & commendatiore dote ad vulnerarias potiones, vnguenta & hernias, etiam vulgi experimento. Ebrio datam copiosam in crapula vinum discutere, mentémque restituere author est Scrib. Largus.

PLANTAGINIS LANCEOLAIÆ species minima.

Descriptio.

RAdice prædita est parua, ad foliorum exortum valdè villosa: *folia* gramineæ angustiæ, duûm aut triû vnciarum lõgitudine: caulium palmo longiorum cacumini capitulum breve & veluti glomeratum insidet.

Hanc esse æstimamus, quã Tabern. in Ic. & Hist. itemque Gerard. Plantaginem angustifoliam minorem inscribit: Cæsalp. Lanceolam minorem: C. B. phyt Plantaginem 12. siue angustifoliam minorẽ: Idem pin. Plantaginem angustifoliam 6. Facilè crediderim à Lanceolata magnitudine tantùm differre, idque ratione loci. Monspessuli Septembri mense floret.

PLANTAGO LATIFOLIA MINOR.

Descriptio.

PLantagini maiori in omnibus similem fecit Tabernamontanus, qui cum Gerardo Plantaginem latifoliam minorem inscribit. C. B. phyt. Plantagidem 5. siue latifol. minorem, & mediæ genus minimũ Thalii: Idem pin. Plantag. latifoliam 12. siue glabram minorem.

Dubium mihi est an Thalius & Tabern. de eadem Plantagine scribant. Tabern. suam refert ad rubrã, quam nos latifoliam glabram maiorem vocamus: Thalius verò suam videtur ad eam referre quam mediam Dodonæi vocat, & nos latifoliam hirsutam inscribimus.

C. B. not.

PLANTAGO ANGVSTIFOLIA MAIOR, caulium summitate foliosa: & alia spicata.

ANno 1612. Augusto mense Io. Lamandus Delphinas perquirens plantas horti Ill. B.

C. Mont. reperit Plantaginem maiorem angustifoliam luxuriantem in dicti horti prato.

Icon Gerardi.

Icon Clusij.

Descriptio

Radix autem lignosa erat & insipida, fibrisque valdè tenuibus nixa: *folia* multa cubitali longitudine, duos pollices quædam lata: costæ vel nerui elatiores quinque, ad pediculos apparent rari quidã pili, alioqui ipsa folia tota virore prædita sunt, quæ quum gustantur, sapor nullus notabilis aut insignis sentitur, subsequente tamen pòst acrimonia: *caules* plures, non ramosi, angulosi, sesquicubitales, &, qua parte radici adhærebãt, purpurascentes in summitate veluti spicæ, vnciam circiter longæ, in quibus *flosculi* cum apicibus longiusculi: in capitulis albis *semina* longiuscula, ruffa, tunicis paruis inuolura.

Gerard. [cuius Iconem proponimus] Plantago qninqueneruia rosea differt à nostra quam descripsimus, in eo quòd nostra tot foliola in supremo caule non habeat, & in eo quòd ex foliolis prodeant duo cauliculi spicati. Quam ob rem Clusij Plantago exotica nostrę similior.

Quam C. Bauhinus in Phyt. Plantaginem 10. siue angustifoliam maiorem in caulem excrescẽtem vocat, eam in prod. & in Pin. Plantaginem 2. siue quinqueneruiam caulium summitate foliosam cognominat, ac sic describit: à vulgari in eo differt, quòd cauliculi spicam florum sustinentes, in caulem palmarem excrescunt, in cuius summitate, folia plura, eo modo quo ad radicẽ dispositа: spicis non oblongis, sed rotundis, breuissimis pediculis lanuginosis insidentibus. In Pinace etiam vocat Plantag. angustifoliam tertiam siue proliferam.

Plantago angustifolia minor spica hirsuta alba, foliis ex atro virentibus valdè villosis.

Radice est tenui, fibrosâ, albicante: *foliis* aliquando vncias quinque longis, strictissimis, atrouirẽtibus, tribus neruis distinctis, per marginem potissimùm pediculis, pilosis: inter quæ *cauliculi* exurgunt, alij cubitales, alij pedales, alij palmares, aliquando triunciales, ad exortum aliquando villosi, glabri nonnunquam, quibus spicæ breues, oblongæ & subrotundę insident.

Synon. Hanc descriptionis author, C. Bauhinus, facit in phyt. Plantaginem 11. siue angustifoliam alteram, vel minorem angustissimo folio. In prod. Plantaginem 3. siue trineruiam angustiss. folio. Pin. Plantaginem angustifoliam 9. siue trineruiam fol. angustissimo.

Locus Sæpiùs hanc Plantaginem ad vias, maximè ad rudera author notauit.

PLANTAGO ANGVSTIFOLIA ALPINA

Descriptio *E radice* crass. siuscula, longa, parum fibrata, circa caput crassescente, *folia* oriuntur ad lanceolatæ Plantaginis folia accedentia, sed multò angustiora, & circiter trientem vnciæ lata, sesquipalmaria, quinqueneruia, parum hirsuta, nigricantia, solidiuscula: *caules* ad radicem hirsuti, foliis longitudine æquales, capita gerunt semuncialia, plantagineis nigriora.

Synon. An Gesn. hort. Lanceola montana. H. Lugd. Holosteum quorundam. C. Bauh. phyt. Holosteum 4. (3. Pin.) siue hirsutum nigricans. Geneuæ in monte Thuiri.

Plantago Indica, Payco acris.

Descriptio Herbæ Payco nuncupatæ, Monardi ex Peru missæ, tribuuntur (ex versione Clusij) *folia* Plantaginis foliis cùm formâ, tum colore simillima, siccata quidem admodum tenuia, & gustata valdè acria, calidáque.

Synon. H. Lugd. pag. 1919. meminit in Peru Payconis. C. Bauhin. phyt. vocauit Plantaginem 7. siue Plãtagini similem Peruuianam. In pin. Plantaginem latifoliam 7. siue Indicam.

Eius puluis ex vino sumptus, nephriticum dolorem è flatibus, aut frigida causa prouenientem tollit: ipsa verò planta cocta, & emplastri in modum dolenti loco imposita, eundem effectum præbet: quod certissimum esse ipsâ experientiâ didicisse Monardes testatur.

PLANTAGO VMBILICATA.

Radix ei Plantaginis vulgaris simillima, spithamum longa, creberrimè fibrata: è cuius nodulo

nodulo siue basi, digitalis crassitudinis, plantagineum, latum, vnicum, admirabili naturæ opificio, expansum *folium*, paulatim propagando in latum gyrum vmbilicatum excrescens, & Coclidis instar per circuitum ascendẽs, in spiras duas tantùm, aut semiternas conuolutum, ac veluti ex pluribus coniunctis in vnum contiguisque Plantaginis maioris foliis conflatum, spithameæ, altitudinis aut pedalis ferè, cuius summum folium Plãtaginis latifoliæ seruat figuram, sinuosam tamen & rugosiorem, sapor illi prorsus plantagineus. E medio conuoluto siue vmbilicato, imo centro, foliorũ quędam rudimenta conspiciuntur, è quibus caulem erumpere verisimile: De cæteris Lobelio qualiscũque descriptionis authori nondum constabat: In Aduers. autem vmblicum montanum Herbariorum vocat. C. Bauh. dicitur in Pin. Plantago latifolia 8. siue peregrina sinuosa.

Monspelio Londinum semine misso Lobelio à D. Caspar Pelliterio, in horto I. Nasmyth. Chirurgi & Archibotanici miræ & raræ elegantiæ hæc orta planta.

PLANTAGINI ANGVSTIFOLIÆ similis Habbures.

Descriptio

PLanta, quam Frater pro Habbures Camerarij misit, magnã habet cum Holostio Monspelienſium similitudinem: *folia* sunt vncias tres circiter longa, angusta, in acumen desinentia, neruosa, hirsuta, sapore nullo insigni: *caules* aliquot eiusdem longitudinis cum foliis, rotundi, capitula plantaginea, longitudinis vnguis, latiuscula.

C. Bauhin. in phyt. vocat Holosteum 3. siue hirsutum albicans alterum, addens D. Camerarium ab Alpino nomine Gotne albi cathartici accepisse. In Pin. Holosteum 5. siue Creticum alterum, Leontopodium Creticum aliud Clusij hist. Dubitat an sit Plantagini similis planta H. Lugdunensis. Ex Oriente secum detulit D. Bern. Paludanus.

PLANTAGINI AFFINIS BIBINELLA Siciliæ herbula.

THryallis Theophrasti & Plinij, Bibinella Theodori, authore Cæsalpino, herbula est ex Sicilia habita, minor Lanceolâ ac viridior: *folium* medio quodam modo se habet, inter Lanceolam & Plantaginem: paruis circumquaque apicibus, vt Coronopo, frequentioribus: *cóliculos* fert palmares, plenos *semine*, vt Plantago: Herba assumitur inter olera.

Synonima

Casp. Bauhin. pin. Coronopus 3. siue maritima maior, Plantago marina Dodon. gall. Lobel. in Adu. Obs. p. 163. Ic. Plant. p. 306. Tabern. & Gerardi. Plantago maritima Gesn. hort. & H. Lugdun. p. 1359. Plantago angustifolia Dod. & Coronopus marinus Camerarij.

PLANTAGINI SIMILE ANTIPHARmacum, siue Contrayerua.

MOnardes de Ind. Occid. parte 2. in epist. Petri Osmæ. meminit pernicioſi cuiusdam toxici, quo in bello & venationibus incolæ vtantur, cui aduersari dicitur planta *foliis* latis, Plantagini Hispanicæ haud absimilibus, si teratur & vulneribus imponatur. Sic enim venenum extinguere, & à Symptomatibus illis, quæ toxicum generare solet, liberare aiunt. Pro magno thesauro existimant Hispani, eam plantam se inuenisse: nascitur eadem regione, vbi Toxicum.

Locus

Eandem esse cum iam dicta credimus, quam idem Monardes libro simpl. medicamentorum ex nouo Orbe delatorum, cap. 17. sequentibus delineauit.

Ex Charcis prouincia Peruana radices quædam venenis aduersantes aduehuntur, Iridis radicibus valde similes, sed minores, & ficulnei folij odore. Hispani Indias inhabitantes Contrayerua appellant, quasi dicas Alexipharmacum, quoniam earum puluis ex albo vino sumptus, aduersus omne venenum, cuiuscunque tandem sit generis, præsentissimum est remedium (vno sublimato excepto, quod solâ lactis potione extinguitur,) vomitione illud reiicere faciens, aut sudores evacuans. Sed & amatoria pocula, eo puluere hausto, educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Gustata radix, aromaticum quiddam sapit cum acrimonia coniunctum: quare calida videtur secundo gradu.

Huc quoque referenda herba quædam (vt Gomara hist. gen. cap. 71. perhibet) indis nota, cuius radicis succus alexipharmacum est pestilenti & pernicioso toxico, quo ipsi sagittas illinunt.

C. Bauh. pin. dicitur Plantago latifolia 11. siue Plantagini Hispanicæ similis.

HOLOSTIVM VETERVM. Cap. II.

HOlostium (ὁλόσιον ita editio Parisiens. alij tamen ὁλόσειον, quasi totum esui aptum, teste Cæsalp.) Dioscoridi parua est herba, tribus aut quatuor digitis eminens supra terram, *foliis* & viticulis Coronopo aut Gramini proximis, gustu adstringentibus: *radice* prætenui, vsque in capillamenti speciem (pili instar alius. Cæterùm, error hîc notatur in Dioscoride, capillamenti similitudinem tribuenti radici, cùm potiùs herbę conueniat, Cæsalp.) alba (vulgares codices habent λευκὴν τῷ εἴδει, i.e. albam, fibrosam. H. Lugd.) Nascitur in editioris terrę locis. Potest & ipsa si simul coquatur, carnes cogere & conglutinare. Bibitur & ad rupta cum vino.

Plinius non Holestium, sed Holosteon vocat, quasi totum osseum, ex aduerso tamen appellatam à Græcis herbam, quia sine duritia, sicut fel dulce [fortè Holostium ob duritiem fruticis dictum est, non vt Plinius statuit:] tenuis vsque in capillamenti speciem, longitudine quatuor di-

gitorum seu Gramen, foliis angustis, adstringens gustu, nascitur in collibus terrenis. Vsus eius ad conuulsa [vulsa Corn.] rupta, in vino pota. Vulnera quoque conglutinat. Nam & carnes cogũtur (quum coquuntur, Corn.) addita.

Galenus siccantem cum adstringente vim Holosteo attribuit: vnde ad rupta commodè bibatur.

Cæterùm Holosteon Cornarius Graminis speciem esse arbitratur mollioris sc. illius, quale in editioribus locis nasci tradit. Ac Holostij nomine sequentes apud Authores donantur plãtæ: Dens canis primus, seu Plinij Phalaris. Gramen Luzulæ. Holostium Iunci foliis Matthiol. Myosuros quorundam. Filix saxatilis. Holostium Plantagini simile. Plant. angustifol. alp. Serpentina. Gramen Fuchsij dictum, eique affine gramen. Tunica minima. Pilosella maior Fuchsij. Pilosella minor eiusdem. Herniaria. Tragos Dioscor.

HOLOSTIVM PLANTAGINI SIMILE.

Descriptio

Holstium Monspessulanum.

HOlostij Monspeliani *radix* longa, crassa, nigricans, lignosa, plurium capium: *folia* per terram sparsa, tota albida, hirsuta, & tomentosa, palmaria quædam, quædam multò minora, non totã semunciam lata, quinq; neruis per longum distincta, gustu adstringente: exsiccata conuoluuntur & in acumen desinunt: *caules* spithamei, aut breuiores: reperiuntur etiam cubitales, similiter hirsuti, thyrsum gerũt longum, aliquot vnciarũ, interdũ vnius, Plantagini & Cornu ceruino *floribus* & *seminibus* similes.

Idem est cum Holostio Salmanticẽsi Clusii, quod ei duplex. Vocatur autem à Lobel. in Obs. p. 166. Holost. Salm. maius Clusij: itémque in Icon. Plant. pag. 307. Ab Hist Lugd. pag. 1189. & Camer. hort. Holost Salm. Clusij. A Gerar. Holost. Salmanticense Clusij: Tabern. Holost. maius: Camer. apud Matthiol. in Hist. ger. & Epit. Holostium & Holosteum quorundam: C. Bauhin. phyt. & pin. Holosteum 1. siue hirsutum albicans maius, & Plantago angustifolia albida Dodonæi. Holosteum Salmãticense alterum Clusii, vocat Holosteum paruum Monspelienſe. *Ego* diuersæne sint species, Holostium maius & minus Clusii, asserere non ausim.

Monspelii obseruatur florens Aprili & Maio: itémque Autumno in aridis Oliuetis & non procul ab arvis, viáque Boutoneti proximâ frequẽs. In hortis floret primo anno, sed rarò semen maturat. Frigoris impatiens est. Locus & Tempus. Descrip

CORONOPVS VETERIBVS.

Cap. III.

Dioscoridis Coronopus (κορωνόπους) oblonga herbula est, humi strata, *folia* habens incisuris diuisa (hirsuta, cap. de Psyllio. Plura vide cap. de Holostio.) atque hæc quidem oleris quoque modo cocta estur. *Radicem* porrò habet tenuem, adstringentem, quæ cœliacis in cibo præclarè facit. Cæterùm, prouenit locis incultis, in aggeribus, & secus vias. Descriptio

Meminit huius Plinius lib. 21. cap. 16. Aculeatarum [hanc vocem Plinium referre ait Cæsalpinus ad præcedentes plantas, de quibus Plinius iam dicto capite priùs locutus sit:] caules aliquarum, inquit, per terram serpunt, vt eius quam Coronopum vocant. Et rursus lib. 22. cap. 19. Coronopus oblonga herba est cum fissuris. Seritur interim, quoniam radix cœliacis prœclarè facit in cinere tosta.

Et hunc vsum eius medicum etiam Galenus & Aëtius habet. Sed in Paulo κωλικὰς ὠφελεῖν legitur, pro κοιλιακὰς. Nec librarij est hic error, ex vocum affinitate decepti, sed ipsius authoris Pauli: qui quum alaudam colicis opitulari antea scripsisset, mox subiunxit, κορωνόποδος ἡ ῥίζα ἡ αὐτὴ πεπίσιυται κωλικὰς ὠφελεῖν ἐδιομέίη.

Theophrastus lib. 7. cap. 9. inter ἔδη εἰοθύλλα, quæ folia à radice ad terram habent, κορωνόπους recenset. Alibi inter aculeatas & spontè nascentes herbas. Itémque lib. 2. caus. cap. 7. inter amaras. Apud Theophrastum Gaza Silaginem & Selaginem vertit.

Inter reiectanea siue notha aliis dicitur Ammonos (ἄμμωνος:) aliis Astrion (ἄστριον:) Aphris Atirsipte (ἀτιρσίπτη:) Romanis Caciatrice [κακιατρικὴ:] aliis Stilagine (στιλάγω:) aliis Sanguinaria, Sanguinaria.

Coronopus autem cornicis pedem significat, & refert quoque, foliis ita fissis & dispositis, vt cornicis pedem repræsentent. Nec ignota herba est, inquit Cornarius, & nostri nomine græcam vocem exprimente appellant.

Porrò Manardus his adstipulandum esse iudicauit, qui volunt Coronopum Dioscoridis eam esse herbam, quæ vulgò dicitur Herba stella. Nos Coronopum siue Cornu ceruinum vulgò, Spicã Plantaginis vocamus. Refert Cæsalpinus & alteram Herbam stellam, quam nos Coronopum serpentinam, alij verò siluestrem, cognominant. Est præterea Coronopus Massilienſis Lobelij, Serpentinæ fortè varietas. Coronopus serpentina omnium minima. Coronopus maritima Rainaudeti. Coronopus maritima nostras. Coronopus Ruellij, siue repens: Eodem nomine

etiam

etiam insigniuntur: Plantago marina. Catanance quorundam. Ranunculus. Caltha aquatica. Gramen dictum Dens canis ;. Capriola, Sanguinaria. Galiopsis maior. Atractylis. Carduus stellatus. Cedrus lycia.

CORONOPVS SIVE CORNV ceruinum vulgò, spicâ Plantaginis. CAP. IV.

Descriptio VT plurimùm tenuis est *radix*, adultior tamen digitali crassitudine reperitur, alba: vix vllo excellenti sapore, exceptâ adstrictione: *folia* statim à radice, crebra, longa, angusta, hirsuta, neruosa, in lacinias aliquot laterales, ceu ceruini cornu ramos, vnde nomen, diuisa, sapore non nihil adstringente: inter hęc *caules* surriguntur Plãtaginis, rigiduli, tenues, teretes, hirsuti, dodrantales & cubitales, thyrsulum plantagineum sustinentes, *flores* & *semen* Plantaginis proferentem.

Qui sponte prouenit, folia per terram spargit numerosa, in orbem, Coronopi vulgaris modo diuisuris, & lacinijs crebrioribus, longioribus, rigidis pilis hirta, eoque nomine ferè incana: in vmbilico ad foliorum veluti radiorum in centro concursum multa lanugo mollis candida: caules complures palmares & dodrantales, rigidi, asperi, hirti, spicam gerunt Coronopi vulgaris spicæ similem: radix singularis, fibrata, crassiuscula, mediocriter longa, lignosâ matrice facta.

Tabern. Icon. Coronopus, Pes cornicis & Stella maris. Gesn. hort. Coron. verus, Herba stella Italorum. Anguill. Coronop. in multis Italiæ locis vocatus Herba Stella. Lob. in Adu. Coronopus [sic etiam in Obs. p. 239. in Ic. Plant. p. 437.] Cornu ceruinum. Cordo in Dioscor. Coronop. vera: Eid. in Hist. Coronop. satiua.

Fuchsius Coronopum vocat, ac inter alia hæc addit: Κορωνόπους, ἢ ἄρειον Græcis, Pes cornicis & Sanguinaria Latinis dicitur. Officinis incognita herba: Germanis commodè *kraen*: aut *Rappenfues*: Gallis *Capriole*, ou *Sanguinaire*, *ou Dent au chien* appellari potest. Coronopus autem non alia ratione dici cœpit, quàm quòd cornicis pedem effigie repræsentet. Sanguinaria verò, Sanguinalis siue vocata est, quòd sanguini sistendo apta sit herba. Sunt qui Herbam stellæ nominant, alludentes haud dubiè ad græcam appellationem Astrion. Nonnulli quòd folium eius multipartitò consectum, in ceruini cornu imaginem effigietur, Ceruinum cornu vocarunt. Ex Dioscoridis descriptione, etsi concisa admodùm, satis liquet, herbam hanc esse Coronopum &c. In editione autem eius gallica Lugdunensi annotatum legimus nomina *Capriole*, *Sanguinaire*, *ou Dent au chien* ad hanc herbam non pertinere.

Dodonæus [qui in hist gall. ob dissimilitudinem veterum Coronopi, Pseudocoronopon vocat, gall. *corne de cerf*, & quibusdam in locis, *herbe de la comteſſe*] Fuchsio cõtrariatur his verbis: Herba stella, siue Cornu ceruinum ad Plantagines accedit, nascitur que locis incultis, aridis, arenosis, secus vias: In Italia, Germania vtraque, Gallia, tum & alibi frequens reperitur quandoque in hortis, vbi ampliter luxuriat. Spicæ eius eodem, quo Plantaginis, tempore conspicuæ. Herbam stellam non pauci nominant: sunt & qui Stellariam nuncupent; stellaria tamen & Alchymilla à recentioribus dicitur: est & Astet Atticus stellaria. Dicitur verò à Bel. *Hertzhooren*, & alicubi *Grauinne* & *Grauinne cruyt*, i. e. Comitissæ herba: Hisp. *Guiabelha*: Germ. *Crayenfus*, quod illi nomen à Leonhardo Fuchsio putatur inditum, quòd Coronopum Dioscoridis esse iudicauerit, veluti & nonnulli post eum alij. Κορωνόπους siquidem Cornicis pedem, i. e. *Crayenfus* sonat; non tamen hæc Dioscoridis κορωνόπους est. Neque enim oblonga herbula est, nec vllo modo repit, viticulosis cauliculis destituta, quibus serpat: folia tantùmmodò per terram sternuntur. Coronopus autem herba exigua, oblonga & serpens, vti Dioscorides & Plinius testantur. Atque hanc ob causam Herba stella nequaquã pro Coronopo haberi poterit. Sunt tamen inter reiectaneas Coronopi appellationes, quæ non perperam Herbæ stellæ conueniunt, vt sunt ἄμμωνος, siue Arenaria, quòd arenosa amet loca: ἄστειον, quòd stellæ siue astri modo per terram spargatur: & Sanguinaria, quòd arenosa aduersus sanguinis quasdam profusiones perutilis habeatur. Sed nomina hæc pluribus stirpibus communia, qualia, præsertim inter nothas voces Dioscoridi ascriptas, haud rarum est reperiri, magni minimè sunt facienda.

Manardus tamen ijs adstipulandum iudicauit, qui volunt Coronopum Dioscoridis esse hanc herbam, quæ vulgò Herba stella dicitur. Quin & Matthiolus huius opinionis sectatores non solùm, nihil falli existimauit, sed eò adductus fuit, vt crediderit Coronopum tam Theophrasto, quàm Dioscoridi idem esse; vocarique Italicè *Coronopo*, quod tamen in comm. Ital. non ait. Existimat præterea Coronopum speciem esse Plantaginis. Non placet autem nomen gallicum *Capriole*, quod in Epitome cum Camerarij additionibus adeptum, & repositum, *Corne de ſerf ou Sanguinaire*, quod ipsum postremum non probo.

Camer. hort. vocat Coronopum satiuum, in acetarijs vtilem, *hirſchenhorn Salatt*. Turn. Coronopum aut Coronopodium, Angl. *Crovvè foote Plantayne*, & Silaginem Gazæ.

C. Bauh. phyt. & pin. Coronopum 1. siue hortensem, Coronopum Tragi, Anguill. Lac. Lon. Tabern. & Eystettensis, satiuum Cęsalpini, Cornu ceruinum Gerardi. Item phyt. Coronopum 2. siue sylueſtrem, hirsutiorem, Coronopum sylu. Coronopum sylu. Cæsalpini, Coronopum Prochytæ, Columnæ.

Castor huius Coronopi duas habet figuras quarum vna malè posita est pro Coronopo syl-

ueſtri, vt ipſemet Caſtor in fine libri annotauit.

Locus & Tempus

Coronopum ſpontaneum Monſpelij tantùm obſeruaui, vbi paſſim prouenit. Lugduni in hortis ſeritur, florétq; Maio. Gener Cherlerus circa Gramontium maritimi tractûs collegit. Copiosè naſcitur circa Shene iuxta ſemitas & in aggeribus maritimis. Meus Dioſcor. Græcus (inquit Turn.) habet χώμασι. Ruellius videtur legiſſe χεώμασι, quod magis placet: nunquam enim circa domos, ſed in aggeribus, quos Græci vocant χεώματα, frequentiſſimè vidi. Seritur in hortis, & ſpontè naſcitur in incultis & ſecus vias, teſte Cæſalpino. Quæ autem ſeritur, anguſtiore folio conſtat, mollior, & rarioribus appendicibus gratior: ſylueſtris hirſutior, folijs profundiùs laciniatis, Erucæ ſimilitudine.

Vires & vſus

Quia folia ſapore dulci & adſtringente, ideò cruda in cibis recipiuntur. Modus autem apparandi, & poſt leuem coctionem in acetaria indendi, durat etiamnum in Gallia & quibuſdam Angliæ locis. Prodeſt nephriticis in olere, aut cibo ſumpta: non tamen calculum atterens aut expellens, ſed renes debiliores roborans, caloremque eorum contemperans: ſanguinis verò ex his eruptiones cohibet etiam ac ſiſtit. Cæterùm, herba manifeſtè adſtringens, frigida & ſicca, Plantagini facultate accedit.

CORONOPVS SERPENTINA.

Deſcriptio

INſignis craſſitudinis & longitudinis eſt *radix*, in capitula aliquot ſub inde diuiſa: ex qua *foliorum* ſeges magna pullulat, longitudine Coronopi eſculenti, ſed latitudine trientem aut quadrantem non adæquãtium: *caules* inter ea plures palmares & altiores, nudi, enodes, thyrſo Coronopi inſignes.

Icones

Quæ à nobis pingitur deſumpta eſt ex planta Cherleriana. Variè autem videtur herba ludere, eiúſque luſus exhibitos noſtrâ ac Lobelij tabellâ, itémque Matthiolinâ.

Synonyma

Lobelio in Adu. pag. 17. Serpentina vernaculè vocata, Matthiolo Holoſtium putata, p. 186. Serpentaria Matthioli, Holoſtij ſpecies. p. 187. Serpentina, nó Coronopus, ſed potiùs Holoſtium. Eſt enim folijs gramineis aut Vetonicæ ſilueſtris humi procumbentibus: radix lignoſa Vetonicæ Garyophylleæ, ſemine & ſpica Holoſtij Monſpeliaci, aut Coronopi vulgaris: prouenit in montibus Galloprouinciæ, Aruerniæ & paſſim in Italia. Huic altera, tota ſimilis, niſi habitioribus folijs, floſculis, cauliculis incanis & hirſutis foret: Apenninis montibus & in Delphinatu repertu facilis. *Hæc ille* qui mihi videtur obſcurior. Cur ad Holoſtium refert plantam p. 187. quam pag. 17. cum Holoſtio non conuenire dixit. Cur etiam Serpentinam, ei plantæ, quam Coronopum vocat, demptis lacinijs ſimillimam facit, poſteáque longè diſparem ait?

Lobel. reprob.

Matthiol. in prioribus comm. Serpentinam depingit, ſed nõ deſcribit, in Epit. verò cum addit. Camerarij Coronopum ſilueſtrem, & *Herba ſtella ſaluatica*, Italicè nominauit. Dodonæus in fol. lat. figuram habet nomine Serpentinæ Matthioli, deſcribítque pro Herba ſtella altera.

Serpentina Matth.

Gerardo Coronop. ſilueſtris: Geſn. hort. Lob. Synon. in Obſ. p. 240. Coronop. ſilu. Serpentina Tab. Coronop. ſilu. ſiue Serpentina H. Lugd. pag. 669. Coronop. ſilu. ſiue Serpentina Matthioli Lob. in Ic. p. 439. Coronop. in montibus naſcens inter ſaxa: & altera in ædificijs, ſimplicior, Cæſalpino. C. Bauhin. phyt. & pin. Holoſtium 6. ſiue ſtrictiſſimo folio maius.

Caſtor.

Figuram ſatiuæ Coronopi Caſtor malè poſuit pro Coronopo ſilueſtri, Herba ſtella ſyluatica, & Serpentina, quod ipſemet in fine Herbarij annotauit.

Locus & Tempus

Matthiolo teſte Serpentina prouenit in Goritienſi agro diluto extenuatóque ſolo, non longè à Sontij fluminis ripis, & alijs etiam in agris. Geneuæ habui in horto delatam ex propinquis montibus, florentem Maio & Iunio. Frequens in Etruriæ *Montacuto*.

Deſcrip

Vires & vſus

Matthiolus Coronopo ſuo eximiam tribuit vim contra ictus & morſus venenatos ſerpentum: dantur autem eius puluerati drachmæ 2. ex vino albo: hoc remedij genere multi euaſerunt ſubitò, ab eiuſmodi virulentis animalibus vulnerati, quemadmodum ego ipſe certò obſeruaui. Eiuſdem radix in vino albo decocta, hydropicis vtiliter propinatur, diebus aliquot continuis manè, & ſudoribus poſtea vacandum: Semen ex vino auſtero aut aqua Portulacæ hauſtum, omnem alui fluxum ſiſtit ac hæmoptyſin: conſueuit etiam herba in vino rubro aut aceto coqui, & ius calidum in ore teneri, contra immenſos dentium cruciatus.

CORONOPVS MASSILIENSIS LOBELII
Serpentinæ fortè varietas.

Deſcriptio

DEnſiſſimo ſparsóq; *foliorum* ſtipatu luxuriat, Sedi minimi ſaxei montani, vel Pinaſtri ritu, poſitu, & rigiditate, innumera etiam ſobole *cauliculorum* dodrantalium, *ſemẽ* puſillum, Plantaginis aut Serpentinę vulgaris, ſpicis includentium: *Radix* longiuſcula, lignoſa, craſſior, guſtu nonnihil calida, aromatica.

Coronopi & Sedi montani mediam plantam Maſſilienſium [vt vocat Lob. in Adu. p. 187. Obſ. Belg. p. 525. Ic. Plant. p. 438.] nouam antiquis & neotericis

neotericis indictam, visum fuit subdere, cùm propter nonnullam inter se similitudinem, tum propter eosdem natales maritimos. *Mihi sanè* videtur iconem ex Lobelio hîc appositam esse lusum Coronopi Serpentinæ, & non respondere descriptioni Lobelij, quæ videtur conuenire nonostro Coronopo maritimo.

Tabern. Coronopus Massilioticus, *Marsilischer kræhenfuess.* C.Bauh.phyt.& pin.Holosteum 8. siue Massilienſe. Coronopus Massilienſium Hist. Lugd. Coronopus siue Serpentina minor Gerardo.

Collibus & cautibus Massiliæ vicinis ad maris allisiones, inter Tragacanthum passim luxuriat.

CORONOPVS SERPENTARIA omnium minima.

Descriptio.

Coronop⁹, cuius figuram hîc damus, factam ad plantam siccam, à nobis Iunio mense Burmij Rhætorum collectam, *radice* est crassa: *caulibus* verò & *floribus* Coronopi serpentinæ: sed foliolis latioribus. Repræsentatur sanè figura Lobelij, in qua tamen non placent foliola cauliculis appicta quæ in nulla harum plantarum vidimus.

Serpentinam omnium minimam[vt vocat Lobel. in Obs.p.240.in Ic. Plant.p. 439. nullatenus à superioribus distare ait, præterquam exilitate; coliculis enim vix vnciam æquare & sesquiunciam.

Tabern. dicitur Coronopus minor, Serpentina minor, *kleiner kraenfuss, klein schlangen Graſſ.*

C. Bauh. phyt. & pin. Holosteum 7. siue strictissimo folio, Serpentina omnium minima Lobelij, Dodonæi & Lugd. Coronopus siue Serpentina minima Gerardi. Coronopus altera in ædificijs Cæsalpini. Quod verò Lugdunensis censeat, inquit, nullatenus à Coronopo Serpentina distare præterquam exilitate, dubito: quod verò opinetur eam esse, quam Pena pingendam curauit, & quam Monspelienses Holostium sint suspicati, omninò fallitur, cùm tres distinctas plantas habeam, *Hæc frater* in phyt. Dubitamus nos an tres plantæ, quas figuris exhibet Lobelius, ab inuicem sint distinguendæ, vel non potiùs varietates. Quæ de exilitate dicit Lugd. desumpta sunt ex Lobelio, nec ideò culpandus. An Cæsalpinus eandem tradat cum Lobeliana, dubito: dicit enim lanuginosam, Lobelius verò hirsutam,

In celsis montium iugis sterilis Seuenæ in Gallia Narbonensi copiosè prouenit.

CORONOPVS MARITIMVS Rainaudeti.

Descriptio.

Coronopi maritimi nomine misit ex Prouinciæ *Aix* ad nos Rainaudetus Pharmacopœus plantam, cui *radix* sesquipalmaris, crassa, fusca, sicca, insipida: è qua innumeræ oriuntur radiatorum foliolorum stellæ, tali verò ferè dispositione, quam in Phyllo Dalechampij videmus, vel Erica Matthioli, confertiorum, repandorum, semunciâ breuiorum, angustiorum, quàm Serpentinæ Matthioli: radiorũ vmbilicus totus villosus, Lupini latitudine, è quo coliculus exit vncialis, nudus, hirsutus, thyrsulo ferè totus obsess⁹.

Coronopus à nobis nunc descriptus optimè conuenit cum descriptione plantæ, quam Lobelius in Adu. pro Coronopi & Sedi montani media planta Massilienſium proposuit.

CORONOPVS MARITIMA NOSTRAS.

Radix breuis, nigricans, crassa, fibris aliquot donata: *folia* quàm in Coronopode vulgari strictiora sunt, longeque crassiora & succulentiora, interdum penè iuncea, quadrantalia, ac etiam palmaria, sapore salso: flos purpureus, spicatus, vulgati, vt semen. Descriptio.

Cam. hort. Coronopus marinus: Lobel. in Adu. Plantago marina: Dod. gall. Tabern. & Ger. Plantago maritima. Gesn. hort. & app. itemque H. Lugd. Plantago maritima. C. Bauh. phyt. Plantago 13. siue angustifolia maritima. Eid. pin. Coronopus 3. siue maritima maior: Bibinella Cæsalp.

Monspelij iuxta mare mense Augusto floret; inde verò delata Montbelgardum, floruit Iunio & Iulio: semen maturuit Augusto. Terrâ gaudet salsâ, aggeribus & littoribus salsis Zelandiæ & Bergis ad Zoom copiosa.

MYOSVROS.
Cap. V.

Descriptio

Fibras numerosas pro *radicibus* habet, vnde *folia* germinant multa graminea, trium quatuórve vnciarum, angusta admodum: *coliculi* vix altitudine folia excedunt, enodes, teretes, nudi, *flosculos* in cacumine gestantes, muscosos, herbacei coloris, paulatim sese explicantes, succedente clauâ duarum triúmve vnciarum, tereti, mucronata, granulis multis compactili, caudam murinam affabrè mentiente.

Synonima.

C. Bauhin. in phyt. & pin. Holosteum 9. siue Holosteo affinis, Cauda muris: Coronopus siluestris Tragi: Myosuros Dod. gall. [qui Holostium negat, & Denticulam canis Ruellij:] Myosuros, cauda muris. Lobel. Adu. & Ic. Pl. p. 440. Myosuros cauda murina Tab. Myosuros quorundam Thalio. Cauda muris Dod. lat. Lob. Obs. pag. 241. Camer. & Gerardo. Holostium Botan. Francofurt. Holostium Dioscoridis, Denticula canis Ruellij, & Gramen molle Lonicero. Holostium Loniceri H. Lugd. p. 1189. Eid. p. 1328 Cauda muris.

Nomina, linguar.

Perappositè autem à recentioribus μυὸς οὐρὰ ἢ μυὸς οὖς vocatur herba, Latinè Cauda muris, vel murina: germ. *Mautzschwantz'lin, rauſentkorn,* & *Meuſſgraſſ* Belg. *Muyſenſteerikens.* Gall. *Queüe de ſouris* Anglis *Blod ſtrange.*

Locus.

Pinguibus agris & pratis gaudet. Aprili mense floret: Maio semen maturum est.

Vires.

Refrigerat, nec multùm à Plantagine viribus differt. Gustu Plantaginis esse scribit Pena, Lobelius legit gustu Hydropiperis.

CYNOPS, CONOPS, CVLIX HERBA Veteribus.
Cap. VI.

CYnops apud Theophrastum lib. 7. hist. c. 8. numeratur cum spicatis: germinat post æquinoctium primis imbribus. Theodorus modò Oculum canis vertit, modò Canariam. Hermolaus legendum esse suspicatur Conopa, & non Cynopa, vt intelligatur herba Culex appellata: nam Græcè Conops culicem significat, de qua herba reperitur apud rei rusticæ scriptores [Plinium l. 19. cap. 5. Columellam lib. 12. cap. 19. Hermolaum lib. 2. Coroll. 366. Othonem Brunsfelsium in Onomast. med. Constantinum Lex. græco. Gesn. in cat. pl. Idem lib. 1. Quadr. de cane agens per integrum ferè folium tractat de Conopo Theophr. eúmque Psyllion esse probat, plurimis adductis rationibus, contra secus sentientes:] Cucumeres nasci sine semine, si farinâ eius herbæ macerentur semina.

Theoph.

Oculus canis. *Canaria.* *Conops.* *Culex.*

Apud Plinium quoque lib. 21. c. 15. & 17. inter eadem spicatas Cynopis mentio reperitur, Culicis verò herbæ lib. 19 cap. 5.

Cynops Plinio.

Cæsalpinus Culicem herbam censet Conizam, derivato nomine à Conope, quoniam culices abigat, vt Dioscorides testatus sit.

Coniza.

PSYLLIVM VETERIBVS.
Cap. VII.

PSyllium [ψύλλιον vet. add. ἢ κυνοκεφάλιον] Dioscoridi folio est Coronopidis, hirsuto, at longiore [μακροστέρω: addendum hoc annotauit Goupylus ex vtroque antiquo, quod in vulgato exempl. desiderabatur:] ramulis dodrantalibus, totáque herbula Fœni modo tenuis ac minutula. Coma verò ipsius à medio caule ducit initium, capitulis duobus tribúsve [aut pluribus, addit vet.] conglobatis: in quibus semen pulicibus simile, nigrum atque durum. Nascitur in arvis & incultis. Vis ei refrigerans: articulorum morbis, parotidibus, tuberculis, œdematis, luxatísque, & capitis dolori cum rosaceo, aut aceto aquáve impositum auxiliatur. Infantium quoque enterocelis ac eminenti vmbilico illitum ex aceto medetur. Acetabuli verò mensuram tritam in duabus aquæ heminis macerari oportet, ac vbi sese aqua densauerit, lentorémve contraxerit, illini. Siquidem vehementer refrigerat: sed & in feruentem aquam immissa calorem reprimit: denique & contra erysipelata est efficax. Fama est, si virens herba domum importetur, pulices arceri. Tusa porrò cum adipe, sordida malignaque vlcera repurgat. Succus fluxione infestatis ac vermiculosis auribus ex melle prodest: Idem de lethalibus autor est potum totius corporis frigiditatem inducere, & torporem cum exolutione & mœrore: contra hoc auxiliari omnia, quæ contra potum Coriandrum.

Descriptio.

Galen.

Psyllij semen maximè in vsu est, inquit Galenus, ex secundo ordine existens frigidorum. Verùm in siccando & humectando medium quodammodò est & moderatum.

Plinius.

Phyllion [referente Plinio lib. 25. cap. 11.] alij Cynoides, alij Cystallium, alij Sicelion, alij Cynomyion appellant, radice tenui, superuacuâ, sarmentosum, Fabæ granis in cacuminibus, foliis canino capiti non dissimilibus, semine autem pulici, vnde & nomen: hoc in baccis: ipsa herba in vineis inuenitur. Ei vis ad refrigerandum & discutiendum [ita ἀποκενωτικὴν δύναμιν reddidisse videtur, id est vim repellendi: alioqui enim διαφορητικὴ, est vis discutiendi: & hæc per calida fit, ita per frigida [ingens: semen in vsu. Fronti imponitur in dolore & temporibus, ex aceto & rosaceo, aut posca. Ad cætera illinitur acetabuli mensura, sextario aquæ densat ac contrahit. Tunc terere ac crassitudinem illinire oportet cuicunque dolori, & collectioni, inflammationíque, teneſmo in aqua cum radicibus medetur. Omnibus articulorum morbis salutare est huius semen madefactum in aqua, admistis in heminam seminis duobus resinæ colophoniæ cochleatibus, thuris vno.

Psyllium inter nothas Dioscoridis appellationes ab aliquibus Cataphysis [καταφυσις] ab alijs Cynocephaliõ [κυνοκεφάλιον, quasi caninũ caput:] alijs Chrystalliũ [κρυσταλλιον:] alijs Cynomuya [κυνόμυια, quasi Canina musca:] alijs Psylleris [ψύλλερις:] alijs Sicelioticon [σικελιωτικὸν, quasi Sicula

la herba] nuncupatur. A Siculis Conidiis] *κονιδίους*:] Romanis Silbacium [*σιλβάκιον*] seu Herba pulicaria, Aphris Vargugum appellatur. Crystallij porrò nomenclatura à viribus notisque eius facta est: quâ indicarunt, qui eâ vsi sunt, crassescendi densandique vim, quam ea habet: Crystallum enim glaciem Græci vocant, quæ in lapidis duritiem concreta densatáque frigore aqua est. Illi simile aliquid Pulicaris huius herbæ liquor habet, vt ex Dioscoride & Plinio patet.

PSYLLIVM MAIVS ERECTVM.

Descriptio. MVltis fruticat *ramis*, hirsutis, teretibus, variè diuaricatis, per quos *folia* incondita, graminea, tomentosa, summus *caulis* ramorúmque extrema crebros producunt pediculos, vmbellam quodammodò mentientes, quorum singulis capitulum insidet imbricatum, Plantaginis, crassius, breuius, squammis maioribus, floribus similibus: *semen* lubricum, lucidum, nigrum, pulicis effigie, manſu aut maceratione mucilaginem abundè red lens: *radix* exigua, fibrosa. Est exilius & habitius.

Synon. Ψύλλιον Græcis, *Psyllium* Latinis, vt Trago, Matth. Fuchs. Turn. Cordo in Dioſc. & Hist. [vbi annuam hanc speciem describit. Ei autem vt existimo, incuriâ typographi addita figura Conizæ: quamobrem quicquid scribat Lobelius, particulare Psyllium non habet hoc loco Cordus.] Dodon. Gesn. hort. Lob. in Adu. Obs. p. 239. Cast. & Gerardo. *Psyllium minus* Cæsalp. secundum Anguill. primum Tab. *Psyllium alterum* C. Bauh. phyt. Eid. pin. Psyllium 3. siue maius erectum. *Pulicaris herba* Lob. Ic. Plant. pag. 436. Psyllium Matthioli H. Lugd. p. 1172.

Nom. lingu. Germanis *Pfyliser kraut, flohe ſamen oder kraut:* item *flœbſamenkraut*. Belgis *Vleycruyt*. Gallis *Herbe aux puces*, i.e. Herba pulicum siue Pulicaris herba. Italis *Psilio*. Hisp. *Zargatoni*. Angl. *fleevvorte and fleesede*. Boh. *Chmeleyck* Arab. Serap. Bazara chatona, Auerrh. Bescarcoton seu Bezercorhume. Ægypt. *Chetum*.

Locus Spontè Narbonensia & Gallo prouinciæ vera acta prosciscáque arua operit & insternit: Ac etiam inter oliueta, sabulosáque scrobes Monspeliani agri prouenit, exilioribus ramis: Littora verò sabulosa maritima lubenter sectatur marinum, habitiore sed non dissimili aspectu, referente Lobelio. In campis aut incultis locis subinde exire scribit, seri & quandoque: semel satum facilè aliquot deinde annis recurrere: Pro loci natura non rarò lætius, præsertim circa maritima, gigni, alibi minus. In Germania & Anglia obseruauit Turnerus, verùm semper hortense. Monspelij florentem vidi in Autumno & Vere: in Italia inter Bononiam & Florentiam, itémque inter Vincentiam & Villanouam, Aprili. Geneuæ abundat vigens Iunio, & virens adhuc Ianuario, & perferens Hiemem cum floribus. Lugduni cum semine Septembri & Octobri à *Ainay* & ad Rhodanum prope ædes. Psyllium copiosissimè prouenire in Ægypto author est Alpinus.

Vires & vſus. Psyllij semen vsui in medicamentis arteriacis, & bilem siue præparantibus, siue educentibus. Seminis & herbæ muccaginosus & lactei cremoris similis succus ad purgandam choleram etiamnum à Lobelio commendatus. Expertus sum ego muccaginem seminis in penem iniectã, ardorem eius sedare. Aqua, inquit Dodonæus, in qua semen Psyllij quassatum, siue agitatum, maceratúmque fuerit, donec lentorem contraxerit, omnes inflammationes sedat: ardentium febrium calores mitigat: sitim restinguit: & in ore detenta asperitates linguæ lenit: Interaneorum ex acrimonia humorum dolores tollit: dysentericis, & quibus intestina, aut vesica, exulcerantur, vtilis, vtilior verò etiam ex semine antea tosto. Aluum & hæc mollit, clementérque subducit, præsertim Saccharo aut Iulepo ex violis addito, vel potiùs ex infusione frequenti dilutè rubentium Rosarum, quo modo in ardentissimis febribus vtiliter exhibetur. Verùm non nimis crebrò hac muccagine vtendum admonet Serapio, & post eum Fallopius, stomachum siquidem offendit, frequentíque ac nimio vsu subinde syncope aut animi deliquium etiam succedit, vnà cum mortis periculo: quia nimium eius venenosum, vt ait, est: quod non modò Græci, sed & Auicennà testatur. Seminum apud Ægyptios vsus est, præsertímque mucilaginis ab ipsis paratæ cum aqua rosacea in omnibus febribus biliosis, ardentibus, inflammationibúsque pectoris, vti in pleuritide, & peripneumonia, sed extrahunt cum aqua Hordei, & cum Saccharo candido exhibent: in aqua rosacea extracta Psyllij mucilagine ij vtuntur in biliosis diarrhœis & dysenteriis, atque omnes externas inflammationes, emplastri aut fomenti modo, tum ex viridis plantæ foliis, tum ex seminibus Psyllij: tota planta vtuntur. *Noxæ.*

Psyllij mucilaginem commendat Gatinaria in dolore capitis calido, malè existimans exteriorem partem admodum frigidam, interiorem calidissimam & vesicatoriam. Cornarius itidem Psyllij substantiam medullæ interioris calidam & siccam in quarto gradu pronunciauit: itémque venenum esse. Sed quâ ratione sit venenum non docet. Arabes quidem ponunt in Psyllio duas substantias diuersas, vnam in cortice, alteram in medulla, sed de ea diuersa substantia nihil dicunt Græci, quamvis ipsi frequenter vsi sint & cortice & medulla. *Gatin. not.* *Corn. not.*

PSYLLIVM MAIVS SVPINVM.

Locus Descrip. ISDEM in tractibus, sed maginibus & squallidis Oliuetorum incultis collibus, sarmentosius lignosiúsque prolixa foliorum & surculorum caudata, comosáque fœturâ densissima implexa fruticat, & reptando cæspitem ornat lætiore aspectu, sed hirsutie ex viridi albicante. *Semine* haud dissimili: sed maiore fuscóque, siue Castaneæ corticis colore: *radice* ligno-

sâ durâ, fibrarum procurſu prolixâ.

Synon. C.Bauh. phyt. Pſyllium 1. ſiue maius: Eid. pin. Pſyllium 2. ſiue maius ſupinum: Pſyllium alterum Matthiol. Caſt. H. Lugd. p. 1173. & Tabern. Pſyllium perenne Geſn. hiſt. Obſ. p. 239. Ic. Plant. p. 437. Pſyllium 3. Anguillaræ, maius Cæſalp. Pſyllium ſemper virens Gerardi.

Pſyllium Indicum foliis crenatis.

Deſcriptio Radice eſt oblonga, renui, fibris capillata: caule circa radicem lignoſo & rufeſcente, rotundo, ſubaſpero, pedali, in frequentes ac folioſos ramulos diuiſo, qui capitula plura, duodena, ſquammata ſuſtinent, è quibus floſculi puſilli, pallidè lutei, lanuginoſi relucent: ſemen nigricans, paruum, ſplendens, ſuccedit: folia habet oblonga, anguſta, acuta, crenata, inſtar foliorum Coronopi, nonnihil laciniata: hirſuta: ex ſemine Pſyllij Indici nomine lato in horto aliquoties florẽs, enatum autori C.Bauh. qui in prod. Pſyllij primi nomine deſcribit. In pin. vocat Pſyllium 1. Pſyllium Dioſcoridis, Pſyll. Indicum crenatis foliis, & Pſyllium primum Anguillaræ: κνιστα Theophraſti: Oculum canis & Canariam Gazæ.

PSYLLIO ACCEDENS GOTNE, Rubrum quibuſdam dictum.

Cap. VIII.

Deſcrip.

VBi adoleuit, patula magis quàm alta eſt plantula, gracilis, lignoſa *radice* firmata: *coliculi* palmares, quorũ pleriq; nonnihil reclinati, *foliis* veſtiti paucis, vncialibus, Pſyllij anguſtioribus. Iidẽ verò rurſus in aduerſos diuidũtur ramos, quorum diuaricationi ſubiecta ſunt folia prædictis ſimilia: capitula Pſyllij, multò breuiora, imbricata non tantùm faſtigio ramulorum inſident, ſed etiam in coïtu ramulorum ſeſſilia, vt in Gnaphalio vulgari: *floſculis* ex apicib. luteis ſuccedit *ſemen* paruum relucens. Annua eſt planta meo quidem iudicio: nam quo anno ſata eſt, floret, vt ipſe vidi, licet alij aliter ſentiant.

Pſyllium minus. C.Bauh.not. Gotne rubrũ & album.

Fratri C.Bauhino phyt. [vbi tertium facit] propter totius plantæ cum Pſyllio ſimilitudinem, Pſyllium minus appellari placuit. Ei Zvvingerus Gotne rubri & albi nomine miſit. Is tamen differentiam ſtatuere videtur inter Gotne album & rubrum. Siquidem Alpinus hoc Gotne rubri nomine ad Camerarium miſerit: at nomine Gotne albi eam quam ſub Holoſteo tertio [Plantagini anguſtifoliæ ſimili] propoſuit. Idem in prod. ſenſit & ſub Pſyllio ſecundo ſiue minore deſcripſit.

In pin. vocat Pſyllium 4. ſiue minus, Gotne rubri & Botrij rubri nomine acceptum, quæritque an ſit Kally tertium Alpini, minùs rectè pictum? Cæterùm, quam C.Bauhinus in prod. pro Pſyllio minore pingit, deſcriptioni non reſpõdet. *C.B.not.*

KALLI TERTIVM ALPINO.

Cap. IX.

FOliis conſtat paucis Aiugæ *foliis* proximis, longioribus multò, *caule* ſingulari, non recto, ex quo tres quatuórue *cauliculi* qui rectâ ſurſum feruntur, in ſingulorum cacumine caput ex quinq; aut pluribus foliis Chamępity ſimilib. deorſum inclinantib., & in arcum recuruatis: in quorum medio *floſculi* multi, Roſarum floſculis ſimiles. Herba ſalſa, atque acri ſapore linguam vellicante. Deſcrip.

Deſcriptionis author vocat Kalli tertiam ſpeciem, cenſéque reponendum ſub Anthyllide ſecunda Dioſcoridis. Locus

Kalli tertium in Ægypto prouenieńs, vt aiunt multi, in puluerem redactum, ac per os ſumptum, phlegma atque bilem exuſtam purgat: idem ex foliis ſuccus expreſſus facit. Ex hac primò & ſecundò exſiccata & combuſta cineres parantur, qui ad vitra atque alia conficienda, conferunt, teſtibus iis, qui ex Ægypto Venetias conuehuntur. Vires

LEONTOPODION VETERIBVS arque Cemos.

Cap. X.

DIoſcoride authore Leontopodion [λεοντοπόδιον] duorum digitorum herbula eſt, *foliola* habens arcta [στενὰ: Ver. non legit] robuſta, quaternũm ferè, aut etiam ternũm digitorũ longitudine, birſuta, quęq; radici ſunt proxima lanatiora [ἐριωδέστερα: Ald. odoratiora: *capitula* in ſummis caulib. quaſi perforata [ſecta vet. & Marcell.] in quib. flores nigri [lutei vet.] Semẽ verò vſq; adeò ſpiſſa lanugine obuolutum [cõuerſu difficile] eſt, vt ægrè deprehendi poſſit. *Radix* ſubiacet parua: quam etiam tradunt amuleti ratione alligatam ad amatoria prodeſſe, tubercula ąque diſcutere. *Dioſc. varijs illuſtratur.*

Leontopodium Plinius ait lib. 26. cap. 8. alios Leuceoron, alios Dorypetron, alios Thorybetron vocare: radicem eius aluum ſiſtere, bilémque purgare, in aqua mulſa, addito pondere denariorum duũm. Naſci in campeſtribus & gracili ſolo. Semen eius potum, lymphatica ſomnia facere dici. Cap. 12. Semen in aqua tritum cum polenta, omnia infixa corpori extrahere. Cap. 14. Semen in aqua tritum & cum polenta illitum, ſpicula ſagittarum extrahere. Libro verò 27. capite 8. ſilendam

silendam censet Cemon [Eccemon CH.] propter vanitates magicas. *Hoc autem* apud Plinium valdè alienum Leontopodion bilem purgare & aluum sistere. Mirum & illud, quod historiam hujus plantæ à Dioscoride prolixè tractatam ne Plinius quidem attigerit. Cum Cornario & Sarraceno Leontopodion Plinij multùm discrepare à Leontopodio Dioscoridis existimauit Dalechãpius, idq; vtriusq; vires collatas ostendere. Placet & hæc opinio C. Bauh.

Galenus neque posteriores Medici Leontopodij meminerunt. Sed & quod Aetius & Apulejus Leontopodium nominant, non aliud quàm Leontopetalon esse palam est.

Sarracenus Cornarium secutus λεοντοπόδιον Dioscoridis, Cemon Plinij esse suspicatur, tum quia vox ea in Dioscoridis nothis etiam inter Leontopodij synonyma repetitur, tum quia & Cemon ad amatoria prodesse innuit Plinius: quæ opinio etiam Marcello placet : non refragante Dalechampio.

Leontopodium verum hactenus non solùm sibi; sed alijs quoque ignotum esse arbitratur Matthiolus. Sed ab omnibus in Italia ignorari falsò desinit authore Guillandino.

Æquiuoca Cæterùm Leontopodij nomine sequentes donantur apud varios authores Plantæ. Pentaphyllon montanum. Pes leonis. Leontop. Candiæ. Gnaphal. Alpin. Gnaphal. aliud. Gnaphalio affinis. Gnaph. Fuchsij. Gnaph. virgatum. Pilosella phlomod. Scorpioides aquat. Caltha. Leontopetalon. Cyclaminus. Aquilegia.

LEONTOPODIVM CANDIÆ quorundam Psyllio affine. CAP. XI.

Descriptio *Radix* nigra est, duriuscula, fibrata : ex qua *folia* emergunt pluscula, pedalia ferè, Plantaginis Alpinę angustifolię, vel potiùs Sesamoidis minoris, sine tamen lacinijs tota villosa. Ad radicem verò recuruis pediculis ligneis *flores* hærent villosi, quos capitula itidem sequũtur villosa, Psyllij similia, *semen* rotundum, oblongum, cinereũ, Psyllio aliquantò majus continentia.

Leontopodiũ 2. [vt vocat C. B.] phyt. & 3. inter icones, Creticum cognominatum, Holosteum 4. in pin. accepit nomine Leontopodij ex Candia rari.

Leontopodium, quod tradimus, est Imperato planta Candię propria, quę in omnibus respondet descriptioni Dioscoridis, inde Leontopodium legitimum inscripsit. Quidam Catanancen existimant.

Bellus tamen in Epist. ad Clusium contrarium tenet. Cùm arescit, inquit, capitula in se contrahuntur ad speciem vnguium milui exanimati, vt in Catanance prima Dioscoridis: sed Catanance non est : nam folia Coronopi non sunt, neque semen Orobo simile habet. Si autem hæc duo haberet, legitima esset Catanance.

Dubitat Clusius an ad Plantaginis angustifoliæ, similiumque classem, hæc planta sit referenda, quam ex Italia Francofurti diuersâ appellatione insignitam accipiebat. Cortusus enim ipsi mittebat eam adhuc tenellam, vestigia tamen capitum adhuc retinentem, vnà cum icone, ipsam stirpem satis scitè referente, addito Catanances nomine. Iosephus verò à Casabona ipsam plantam maturam & aridam, ac recens è Creta delatam, Leontopodij appellatione. Clusius autem diligenter conferens vtramque cum Leontopodij & Catanances descriptione, animaduertit notas aliquot habere satis inter se conuenientes vt fusè enarrat.

Iconem ex viuente planta in horto D. Iacobi Zvvingeri cum suis capitulis Septembri visa pingi curauimus.

Vtuntur hac vulgariter ad soluendos quos putant ex maleficio Venere vti non posse: nam herbâ super prunas posita, ter patientem nudum per fumum transire faciunt, & totidem vicibus indusium eius fumigant : & sine dubio liberum à maleficio fore prædicant: Bello referente. Vsus.

ELLEBORINE, EPIPACTIS, ET Damasonium in genere CAP. XII.

EPipactis, quam alij Elleborinem [ἑλλεβορίνην] & Borien vocant, frutex est pusillus [θαμνίσκος μικρὸς, pro quo vet. quidam πόα μικρὰ] perquàm exigua foliola [φυλλάρια. Ald. φύλλα] habens. Contra venena & jocinoris vitia pota prodest, authore Dioscoride.

Peregrina Italiæ auctore Plinio Epipactis est: qui inter Græciæ & Asiæ frutices eam lib. 10. cap. 20. numerauit.

Non satis autem descripta est, vt nostra ætate cognosci possit : nec cur Elleborinen vocauerit eam antiquitas, constat. Si nomen ipsum tamen expendatur, non abs re fuerit Elleboro similem aut congenerem credere.

Si contra, Theophrastum aliquis audiat lib. 9. hist. pro candido Veratro de ea sic tradentem : Miscetur autem in Ellebori poculo, vt vomitiones adjuuet Elleborines semen. Herbula autem hæc est. Si quis, inquam, hæc dicentem Theophrastum audiat, suspicari poterit, non tam quia Elleboro congener sit, Elleborinen dici: sed quòd Ellebori vim augeat, conjunctaque illi faciliores vomitiones faciat. Vtramque enim ex Theophrasto colligi causam arbitratur Marcellus.

Cæterùm, vbi Theophrastus Elleboro albo, Elleborines herbulæ semen admisceri scribit, aliquam Saraceno suspicionem mouet, Theophrastum hoc loco per Elleborinem, Sesamoides intelligere.

Elleborinen suam Matthiolus non describit, sed tantùm pingit, nec etiam Epipactidem aut Elleborinen astruit.

Gesnerus de Lunar. ait alios etiã errare, qui aliam Ellebori nigri speciem [cui folia plerum-

que bifida aut trifida] Elleborinem appellant. Quibus quid intelligat, videant lectores. Elleborines nomine intelligi Elleborum nigrum siluestrem vulgarem putat idem de hortis. Idem rursus de Lunar. illos errare scribit, qui Consiliginem Elleborinen appellant.

Elleborinen quandam pingunt recentiores & Belgæ, quam Elleborinen Dodonæi inscribimus.

Inter Elleborines præterea consideranda veniunt: Damasonium alpinum siue Elleborines species floribus albis. Damasonium purpureum dilutum est Elleborine sexta Clusij. Damasonium alpinum floribus luteis. Elleborine ex albo sublutea. Elleborine siue Damasonium montanum quorundam angustifolium, flore violaceo. Elleborine ferruginea Dalechampij, quæ nobis est Damasonij species quorundam, siue Calceolus D. Mariæ.

Ac pro Elleborine à nonnullis traduntur sequentes plantæ: Bifolium. Gentianula. Buphthal. Dodon. Lunaria botrytes. Herniaria. Centaur. minus.

ELLEBORINES SPECIES VARIÆ. CAP. XIII.

ELLEBORINE DODONÆI.

Descriptio

NVmerosis fibris radicatur, albidis, quàm Hellebori habitioribus, & ad Ruſci radices, accedentibus, ſapore amaricante: caulis modò vnicus, modò plures pedales, aut etiam cubito altiores, nullis ramis donati, teretes, & farina quadam aſperſi: quibus ſine pediculo adnaſcuntur folia, Hellebori albi inſtar neruoſa, ſed multis numeris minora, & vix ad foliorum Polygonati magnitudinem pertingentia, ſapore itidem amaro: caulis à medio ferè ad ſummum vſque faſtigium per interualla alternatim floribus ornatur, Orchidum floribus non multum diſſimilibus, quos conſtituunt folia bina albida, terna, herbacea, vtraque expãſa, quorum medio ceu exenteratum muſcæ cadauerulum ex albo purpuraſcens conſpicitur: flori ſubeſt canaliculatum capitulum pediculo inhærens breui, quo aucto ſemen claditur minutiſſimum & puluiſculi inſtar.

An Damaſonium calliphyllon Cord. in hiſt?

Camer. apud Matth. germ. ponit figuram cum inſcriptione Elleborines, dicens flores variare, & quoſdam virentes eſſe, alios albicantes, alios rubellos, ſiue incarnatos, & rubentes, præſertim in Auſtria & Vngaria. In Epit. pingit ſub titulo Epipactidis ſiue Elleborines. Quænam autem ſit Helleborine Dioſcoridis, difficile conjectu arbitratur.

Hæc herba appellata eſt à Dodon. gall. græcè ἑλλεβορίνη quòd Helleboro albo figurâ ſimilis ſit: latinè Helleborine & Epipactis. Quidã exiſtimãt quòd Helleborine ſit herba quæ Helleboro viribus duntaxat aſſimiletur, & nõ figurâ. Sed horũ opinio falſa cognoſcitur, quòd huic nec vnicam vim Hellebori Dioſcorides attribuit. Idem in fol. lat. Helleborinen inſcribit, ac ait: Helleborinen non impropriè dici ac nominari poſſe, ipſa cum Veratro albo ſimilitudo teſtatur: &c.

C. Bauhin. phyt. & in pin. Helleborine 1. ſiue latifolia montana: Helleborine Dodonæi H. Lugd. pag. 1312. Helleborine recentiorum ſecunda, Cluſij. Helleborine Gerardi. Epipactis latifolia, Eyſt. Sigillum Salomonis, Cæſalpini: Foliorum amplitudine [& quod altera foliis oblongis acutis, altera verò ſubrotundis eſt] & floris colore euarians.

In montibus paſſim occurrit Auguſto, Septembri, & Octobri menſe florens. Cluſio prouenit in opacis Galliæ, Germaniæ, Auſtriæ, & Vngariæ locis, etiam in Pannonia interamni inter Drauum & Sauum flumina. Præcocior eſt reliquis & Maio plerumque florere ſolet.

DAMASONIVM ALPINVM SIVE Elleborine, floribus albis.

ADſimilis eſt Helleborinæ: radices fibroſæ, tenues: caulis modò dodrãtalis, modò maior, modò minor, gracilis, foliis alternatim amictus, Plantaginis lanceolatæ, anguſtis, aliàs etiam vnciâ latioribus, ſed Hellebori albi more ſtriatis, nitidis: flores per caulis ſumma ſpicatim & velut Orchidum modo diſpoſiti: è ſinu foliorũ exiguorum ſingulares, maiuſculi, lactei, longi calyces capitulo impoſiti, tribus in ambitu foliis præditi, intra quæ duo alia minora, his verò oppoſitum tertium hians, & labellũ luteum velut alis quibuſdam munitũ. Ex huius hiatu piſtillus albus, nitidus, breuis, capitulum ſuſtinet nitidiſſimum, tenerrimum, oblongum, ſũma parte per lõgitud. hyli impreſſione notatũ. Descriptio

C. Bauh. phyt. & pin. Helleborine 5. ſiue flore albo, vel Damaſonium montanum latifolium: Tabern. & Ger. Helleborine albo flore: Eyſt. Epipactis anguſtis foliis: Cordo hiſt. Aliſma cymbalianthemon.

Reperta mihi in montibus ad S. Vrſinũ florẽs Maio. Eadémque etiam olim obſeruata Tiguri. Genero Cherlero in ſyluaticis & vmbroſis littoribus maris Adriatici frequẽtiſſima & ſpecioſiſſima obſeruata.

Damaſonium purpureum dilutum, ſiue Elleborine IV. *Cluſii*

CVbitali *caule*, rotundo, geniculato, quem in ſingulis geniculis alternatim ambiunt anguſta-

Descriptio

sta *folia*, Secundi generis [Elleborines Dodonæi] foliis nó dissimilia, erue re meminit Clusius : cuius summus caulis desinebat in *spicam* sex, octo, aut plurium interdum *storam*, quinis foliis elegantissimi dilutiq; purpuræ coloris cóstantem, inter quæ latebat quędam veluti galeola muscarum proboscidi similis, labrũ inferiore parte adnexum habens, æqualis ferè cum foliis longitudinis, candicans, intus striatum : sustinebantur flores anguloso, tortili, hirsutoque nonnihil capitulo : *radix* illi fibrosa, sparsa, subrufescentis coloris.

C.Bauh.phyt.& Pin.Helleborine 7. siue montana angustifolia purpurascens : Helleborine 5. Clusij pann.6.eiusdem hist.Damasonium tenuifoliũ Cordi hist.Damasonium alpinum H.Lugd. p.1058. Alisma tenuifolium Thalij. Sigillum S. Mariæ 5.Cæsalp. Helleborine angustifolia Tabern.& Gerardi. *Nos Damasonium* H.Lugd.huc. non referimus, flores siquidem inter alia conueniunt.

C.B. loc.

In Pannoniæ quadam silua, magno miliari ab arce munitissima Nemethvvivvár, aliisque Zolnok vicinis locis abundantissimè nascitur. Floret hoc genus Iunio, nonnunquam etiam Iulio.

DAMASONIVM ALPINVM floribus luteis.

Descriptio

Radice est nigra, modicè fibrata, altiùs descẽdente: *foliis* oblongis, angustis, neruosis, lanceolatæ siue Plantagini minori similibus, aliquantò lõgioribº, acuminatis: *caulibus* pedalibus: *flore* luteo: *seminibus* oblongis, angulosis, quaternis simul sic conjũctis, vt hiante medio spatio fenestrata quædã meta appareat, apice nigro supereminẽte, eleganti sanè figurâ, laternæ, quæ nondum cornu, chartaue obducta est, clausaq; simili, & huic plantæ peculiari.

Damasonium alpinum montanum Herbarij vocant : quidam Clymenum, folio Plantaginis minoris, folliculis Iridi similibus, fructu oblongo, citris polyporum non dissimili. Sed cur Damasonij nomen huic plantæ indiderint, haud constat. Quare liberum cuique aut id retinere, aut aliud verius sufficere : H.Lugd.

In Alpium vmbrosis conuallibus gignitur.

Elleborine ex albo sublutea.

Caule surgit recto, sesquicubitali, plùs minùs. *Foliis* vestitur pluribus, alterno situ positis, perfoliatis, latioribus quàm Helleborinę flore albo, venosis & striatis, vt Hellebori albi, sed multis numeris minoribus, saturè virentibus. Caulis summa thyrsus occupat *florum* ex albo luteorum galea alba labello luteo & suberoceo præditorũ: è quorum sinu pistillus firmus, crassus cum apiculis farinaceis : Ad quorum pediculos semunciam longos singula extrorsum conspiciuntur *foliola* parua, angusta, acuminata : *Radix* fibrata, ad Elleborum accedens, valde profundè radicata. Sapor amarus admodum in foliis & floribus.

An Damasonium alpinum H. Lugd.p.1057. & 1058.?

Obseruaui florentẽ mense Majo in limitibus Montbelgardensis ditionis versus *Mathai* arcem in vepribus, & in monte dicto *Montbar*.

Elleborine siue Damasonium montanum quorundam flore violaceo angustifolium

Damasonium hoc montanum, quod Dalechampius olim Clymenum denominabat, floribus est violaceis, cæteroqui Elleborinę Dodonæi affinis planta, sed foliis angustioribus. Prope Geneuam in colle *la Bastie* obseruauimus : item in monte Rosberg prope Masmunster mense Octobri Helleborines flore violaceo meminit Lobel. in Obs.

Elleborine βοτρυώδης seu Alisma racemosum.

Sesquidodrantalis est planta, *caule* geniculis discreto, ex quibus continuo ordine *folia* sua exerit, Plantaginem maiorem ferè imitantia, sescũciam lata: *flores* verõ racematim quasi in longo recuruoque scapo dependent plurimi rubicundi.

Thalio descriptionis authori dicitur Alisma βοτρυώδες seu racemosum: C.Bauh phyt.& pin. Helleborine 2. siue atro-rubente flore : variat foliorum amplitudine : florum colore atrorubente, rariùs candido.

Frequens est multis in locis, opacis tamen & montium jugis.

Damasonium flore herbaceo, intus non nihil candicante

Pari est cum Helleborine Dodonæi magnitudine, paulò latioribus foliis, minoribus floribus, qui etiam quinque foliis constant, & galeolam cum prominente labro amplectuntur, coloriscque sunt herbacei, interiùs nonnihil candicãtis, nullius odoris, quibus torosa contortaque capita subsunt: radix nominatæ similis.

Clus.pann. Elleborine 2. Eid.hist. Helleborine recentiorum 3. C.B.phyt.& pin. Helleb...

ne 3.angustifolia palustris siue pratensis.

Locus. Inuenitur in quibusdam Austriæ & Pannoniæ siccioribus pratis,& in Norimbergensi silua vrbi vicina ad Latomias.

Elleborine flore carneo.

Huic minor est altitudo, similia interdum folia,nonnunquam multò latiora : flores aut omninò purpurascentes,aut omninò, aut propè carnei, Elleborines Dodonæi floribus prorsus similes:nec radix differt.

Synon. Elleborine 3.Clus.pann. 4.Eid.hist. Helleborine 4.siue flore carneo C.Bauh.phyt.& pin. Sigillum S.Mariæ alterum Cæsalpino.

Locus. Crescit in montanis pratis & cæduis siluis Austriæ.

Elleborine montana angustifolia spicata.

Elleborinæ 4.Clus.p.nn. 5. Eid.hist. Helleborine 6.siue montana angustifolia spicata cubitalem altitudinem superat, & amplissima omnium sunt illi folia, atque oblonga purpurascentium florum spica.

Locus. Nascitur in multis Pannoniæ & Austriæ siluis, & ad montanorum pratorum margines:sed nusquam frequentiùs, quàm in eâ silua, in qua Damasonij species, Calceolus D. Mariæ abundat.

Elleborine tenella,tribus in caule foliis prædita.

Descriptio. Non inelegans est Elleborines recentiorum hoc tenellũ genus,quod Gulielmus de Meta, Medicus ex Italia rediens, obseruabat,& Clusio Francofurti donabat. Erat verò pedalis ferè altitudinis, gracili caule,tribus foliis prædito, Elleborines vulgaris foliis formâ similibus, & quinque neruis per longitudinem eorum excurrentibus, sed longè minoribus, vt quæ circiter vnciam lõga sint duntaxat, semunciam lata : summus caulis in spicam florum desinit Elleborines vulgaris flores imitantium,sed minorum : radix summâ quasi tellure sparsa, crassiusculas succulentásque fibras egerat.

Elleborine 7.Clus.h. 8.C.Bauh.phyt. & pin.

DAMASONII SPECIES QVIBVSDAM siue Calceolus D.Mariæ. CAP. XII.

DAmasonij speciem faciunt quidam Helleborines affinem herbã, foliis alternatim per caulem pedalem, illarum similibus, venosis,subhirsutis : flos summo cauli insidet plerumque singularis quatuor foliis atropurpureis decussatis acuminatis, vtrem magnum ex luteo pallentem, lignipedũ Franciscanorum calopodia imitatum, supernè aliquousque patulũ sustinentibus : siliqua puluisculo, vt in Helleborinis & Orchidibus plena succedit : radix obliqua sub terra agitur, numerosis fibris capillata, subinde caulium emarcidorum vestigia impressa gerens. *Orchidi hu cognata*

Calceolum D.Mariæ spuriis Orchidibus cognatam plantam determinauit Clusius,Elleborines recentiorum primæ titulo, eam describens & depingens. Germani Marienschuch Pfaffenschuch appellant: Hungari Ezereth gyvsiu,i.e. Milleb onam herbam, quasi χιλεδωναμιν dicas. *Elleb. recentior.1.Clus. Milleb.*

Gesnerus in epist. lib.3.frequentem apud Heluetios inueniri subscribit, lutcúmque florem illi tribuit,Cosmosandalónque Pausanię suspicatur, quòd & Sãdalij formam referat flos,& punctis ceu literis quibusdã notetur,etsi Pausanias Hyacinthum esse conjicit , sed huic cum Sandalio nihil. Quidam vir doctus Lonchitim primam esse putat. Gesnerus verò de veteri nomine dubitat , & tamen ad Alismatis species refert.Fructus,inquit, semen, odor,sapor cum succo glutinoso & subacri, τῖς ὄρχεσι λεγομένοις cognata esse arguunt, etsi radix testiculata non sit. De coll. stirp. vocat Cacaliam luteam: item postea,Calceolum D.Mariæ foliis Ellebori. De hort. Alismatis speciem quorundam, & Calceolum D. Virginis vulgò dictum. Simlerus & Aretius, Ancken ballen/) Damasonij aliquam speciem. Dod.hist.Flor.Damasonium nonnullis existimatum,Damasonium nothum : Lat.in fol.Calceolum marinum, cuius inscriptione duas exhibet figuras,& vulgò Calceolum sacerdotis , germ. Pfaffenschuch& Papen schoẽ appellari refert: Existimari verò & à nonnullis Alisma siue Damasonũ esse: sed minùs quàm Saponariam cum eo conuenire. Folium quidem Plantaginis satis respondere:sed desiderari capitula thyrsi:florem tenuem , inalbicantem , & radices Veratri nigri similes. *Cosmosandalos. Cacalia lutea. Calceol. marinum. Calc. sacerdotis.*

De recentiorum Calceolo Mariæ (vt vocat in Adu. & Obs. pag.126.) siue Calceolo Mariæ & Sacerdotis crepida, Damasonio notho (vt in Ic. Plant. pag.512.inscribit) hæc prodit Lobel. Priscis etiam prætenta videtur illa floris larua perquàm spectabilis, etiam plantagineis foliis, aut Bifolii,quam nonnulli Alisma opinati sunt, vulgus Septentrionalium vnzer vroive t schoen/ vel Papen schoen, i.e. Virginis calceum, vel Sacerdotis crepidam vocitat à floris effigie, quæ quatuor cõstat foliolis dilutè purpurascentibus, & rubẽtibus,sui è medio promentibus vtriculum quendam purpureum,latus vacuum, rotundum, fuci,aut aſylonis cadauer,vel vnedonis caliculos florum nonnihil referens, sed supernè , aut latere vno patulum, instar crepidæ otæ patulæ , quà inseritur pes : foliis Plantaginis, aut Alismatis in longitudinem venosis : radice transuersa,nec altè depacta, nec multùm fibrosâ. *Recentiorum Calceolus Mariæ. Crepida sacerdotis.*

Apud Amatum lib.3. c.158. ponitur ex figuris Dalechampij pro Lonchitide prima,quamuis Amatus scribat Lonchitidem vtramque sibi incognitam. *Amatus Lusitan.*

Camer.hort. Damasonium nothum Dodonæi: Thal.Alisma ὠάνθεμον aut κοελάνθεμον H.Lugd. p.1146.Elleborine ferrugine Dalechampii.

C.Bauhin.phyt.& pin.Helleborine 9.siue flore rotundo, siue Calceolus : Alismatis species flore ferrugineo Gesn.hort.Lonchitis prior Dalechamp. in Dioscor. Damasonium nothum Dod. gall. Pseudo Damasonium Clus. pann. Calceolus Mariæ Eyst. Flore est luteo , sed folia ad

lia adiuncta ferruginea: reperitur & albo, & vtriculo purpureo: apud Heluetios flore est duplò maiore, quàm apud Noricos.

Tempus. Intellexi, inquit Clusius, in Hercinia silua, præterea circa Fuldam, alijsque Germaniæ siluosis locis copiosè nasci. Ego Tiguri florentem obseruaui Maio: In montibus Geneuæ propinquis Iunio.

Vires. De Calceoli autem Mariani facultatibus licèt nihil occurrerit Dodonæo ad scribendum: vt pote non modò veteribus, sed nec recentioribus satis cogniti: Vulnerariam tamen herbam esse, plagasque recenter illatas sanare aiunt non pauci.

ALISMA TOSSANI CAROLI. CAP. XIII.

Descriptio. *Caule* surgit singulari, cubitali, anguloso, glabro, fusco: cuius scapus in alas aduersas atque hæ rursum in alias surrectas omnes & in thyrsum fastigiatas diuiduntur: flores singuli insident stellati, quinque radiatis foliis [rarissimè quatuor] constantes, ijsque acuminatis, internè ex dilutiore cæruleo in albidum pallescentibus, strijs saturatioribus longitudinem percurrentibus, quæ externa parte paululùm admodum apparent, in herbaceum declinante: in medio flore surrigitur vèrticosus nonnihil stilus, & quina stamina, Viola leuiter tincta, quæ nonnunquam repanda in foliorum interstitia sese insinuant: porrò autem singulis florum foliis ad basim binæ ceu pusillæ verrucæ violaceæ adnascuntur: toti denique flori foliola viridantia radiata subjiciuntur: folia per terram sparguntur, plantaginea, media inter Plantaginis maioris & Quinqueneruiæ folia, alia cauli sine pediculo adnascuntur, augustiora, ex opposito lata, magisque acuminata, singulisque adeò thyrsi diuisionibus folia, sed minora, subjiciuntur, ex aduerso posita: sunt ea verò pinguiscula, atrouirentia, glabra, per quorum longitudinem neruus decurrit rectus, alis vtrinque sinuatis: sapor gustanti amarus.

C. Bauh. in phyt. eius meminit, vt apud nos viso, nomine Alismatis primi, siue folio glabro. An Synonyma autem eadem sit cum Gentiana Pennæi, flore punctato subcæruleo, vt idem voluit in Pinace, ambigimus.

Locus & Tempus. Pulchram hanc plantam nobis jam descriptam ante annos plures ab insigni pharmacopœo Tossano Carolo accepimus, in Burgundiæ Champagnole locis aquosis collectam, quæ in hortum translata pluribus annis durauit, & quotannis floruit, & semen maturauit mense Augusto & Septembri.

GENTIANA VETERIBVS. CAP. XIV.

PEriisset tota Gentidis antiquissimi Illyriorum regis jampridem cum nomine fama, nec esset regiæ eius fortunæ monumentum aliquod, nisi renascens quotannis Gentiana, gratâ inter homines memoriâ, honorem illi identidem augeret, amarèque hominem & laudare, posteros cogeret, qui vt generi humano prodesset, in frigidissimis regionis suæ, ventosisque montibus, neglecto regiæ potestatis honore, herbas quærere, & inuentas nobis indicare, veritus non fuerit. Tam innocenter sibi, vtiliter verò alijs, tunc reges imperia tractabant, gaudente, vt pat est, matre omnium terra, augentibusque vires suas herbis, quæ regum manibus foderentur. Gaudente etiam Medicina, quæ reges haberet auctores, eorumque diginitate suum & ipsa honorem & gloriam augeret. Quantò Illyriorum regi honestius hoc in laudibus suis audire, quàm Cæsari centum & nonaginta duo millia hominum occisa prælijs, qui maximus fortunæ & gloriæ eius cumulus est, in honorem suum fecisse? Et quos bello alij perdiderunt, inuentæ à se Gentianæ remedijs ad sanitatem instruxisse.

Nota igitur omnibus semper Gentiana fuit. Et Dioscorides ab inuentore Gentio Illyriorum rege Gentianam appellatam scribit: foliis proximè radicem (ab radice, Cæsalp.) Iuglandi Plantaginiue similibus, subrubentibus, à medio autem caule, & maximè circa cacumen paulùm dissectis: caule inani [concauo] læui, digiti crassitudine, ac bimûm cubitorum altitudine, geniculis distincto, & maioribus ex interuallis foliis circumdato: semine in calycibus lato, leui [sine pondere] aceroso (paleaceo) ad Spondylij semen accedente: radice longâ, Aristolochiæ longæ simili, crassâ & amara. Nascitur in celsissimis montium jugis, locis vmbrosis, aquosisque. Vis radici excalfactoria & detergens. Cõtra venenatarum bestiarum morsus duabus drachmis cum Pipere & Ruta ex vino pota auxiliatur. Extracti succi drachma ad laterum dolores, & casus è sublimi, ac rupta & conuulsa prodest. Hepaticis quoque & stomachicis pota cum aqua subuenit. Radix collyrij modo subdita partus ejicit: impositaque vt lycium vulneraria est, & cuniculatim depascentibus vlceribus medetur, præcipuè verò succo, qui quidẽ oculis etiam inflammatione laborantibus illinitur. Miscetur & succus acrioribus collyrijs pro meconio [hoc loco μεκωνίῳ (cum) pro ἀντὶ [pro] legendum esse ipsa res monstrat. Non enim medicamenti frigidissimi loco substituitur, quod calidum & siccum est, H. Lugd.] Sed & radix vitiligines, alphos dictas, absterget. Porrò extrahendi ratio hæc est: Contusa radix ad dies quinque aqua maceratur: postea in eadem tantisper decoquitur, dum extent, emineantque radices: ac vbi refrixit aqua, linteo excolatur, moxque discoquitur ad mellis crassitudinem, fictilíque vase reconditur. Hactenus Dioscorides, in cuius nothis aliqui Ceutauream radicem, alij, Aloem gallicam, alij Narcen, alij Chironium, Dardani Aloetin, Romani Gentianam seu Cicendiam, alij Cyminalem vocant.

Plinius lib. 25. cap. 7. scribit Gentianam vbique nasci, in Illyrico tamen præstantissimam, folio Fraxini, sed magnitudine Lactucæ: caule tenero, pollicis crassitudine, cauo & inani, ex inter-

vallis foliato, trium aliquando cubitorum, radice lentâ, subnigra, sine odore, aquosa, montibus subalpinis plurima. Vsum esse in radice & succo. Radicis naturam esse excalfactoriam, sed prægnantibus non bibendam. Hæc hoc loco. Sed & reliqua à Dioscoride tradita, sparsim idem Plinius habet.

Galen. Galenus omnem vim Gentianę radici ex amaritudine attribuit. Gentianæ (inquit 6. simpl.) radix multùm est efficax, cũ opus extenuatione, abstersione, purgatione, obstructionis liberatione. Nec mirum si hæc possit, cùm impensè amara sit. Hæc Galenus.

Auicenna. Auicenna Gentianam calidam esse scribit ordine tertio, siccam verò secundo. Componitur ex hac apud Mesuem, & alios plerosq; Medicos, theriaca diatessaron. i.e. ex quatuor rebus, sc. addita Aristolochia rotunda, Myrrha, & baccis Lauri, æquali portione, quæ vicem explet Theriacæ magnæ. Dioscorides alio modo diatessaron facit, exhibens percussis à serpente radicis Gentianæ drachmas duas cum Pipere & Ruta & vino.

Cæterùm, Gentianam Centaurio similem, Centauriam radicem aliqui nominauerunt, & ex eo Narcem, quoniam Narce Centaurium etiam dicatur. Fuerunt qui Aloëm gallicam nulla foliorum, sed radicis & rectitudinis & amaritudinis similitudine aliqua, quam vtrumque genus amaram rectà sub terram agit. Chironia à centauro Chirone dicta itidem est, quoniam & Cẽtaurium ab eodem Chironia pariter nominetur. Credidit præterea Marcellus, quoniam Aloë diceretur Gentiana, à Dardanis Aloitim pariter nominatam fuisse.

Porrò licèt Veteres vnius duntaxat Gentianæ meminerint, recentiores tamen cognouerunt plures, & scriptis publicarunt. Et C. Bauhinus inter Neotericos doctè inter Gentianas sic distinxit. Aliæ sunt radice perenni, aliæ fugaci: illæ, flore & semine prolato, interire non solent, sed singulis annis ex eadem radice, noua germina producunt: hæ verò, flore emarcido, & semine dispersо Hyeme intereunt, & ex semine renascuntur.

GENTIANA VVLGARIS MAIOR
Ellebori albi folio.

Descriptio.

FOlia Hellebori albi foliis paria, circa radicẽ multa, per caules ex aduerso sita, eosdem pediculis connatis amplectentia, neruis tribus aut quinque plantagineis distincta, glabra, polita, lucida, hisque notis ab Hellebori albi foliis distincta: caules cubitales, bicubitales, ac etiam interdum hominis altitudinem assequentes, singulares, læues: ex foliorum superiorum minorum sinu flores verticulorum modo dispositi erumpunt, calycibus inclusi primùm, postea intumescentes explicantur, qui singuli longiusculi & lutei: sequuntur vascula oblonga, in duas se partes aperientia, in quibus semen numerosum, leuiter rubens, ad Leucoij semen accedens, leuius: radix crassa, lõga, multifida, intus flauescens, sapore insigniter amaro. Quæ cùm sit fungosa, siccata insigniter corrugatur, ac externè rufescit.

Fuchs. & Cord. aut. Fuch. cum Cordo reprehensione dignus, quòd folia per ambitum leuiter incisa Gentianæ attribuant, non obseruantes Dioscoridem esse corrigendum. Helleboro enim albo foliis adeò proxima est vt minùs exercitatum eminus eludat.

Theod. aut. Theod. Dorsth. ineptam, nescimus cuius plantæ iconem exhibet, jam antè pro Galanga quoque positam.

Synon. Gentiana dicitur Brunfels. tom. 3. thapsi. 77. Cordo in Dioscor. & Hist. Fuchs. Anguill. Gesn. hort. & de coll. stirp. Matthiol. Euch. Rœss. Corn. Harch. Io. Agric. Lon. Rob. Const. Cæsalp. H. Lugd. pag. 1258. Lac. Dod. Turn. & Castori, qui germ. Kreütz wurtz vocat, quod nomen non conuenit. Gentiana magna floribus luteis Gesn. in descr. mont. fr. Gentiana maior florib. subcæruleis, Gesn. in app. hort. Gentiana maior vulgata, Arct. in descr. mont. Stœck. Gentiana maior fl. luteo Camer. hort. Gentiana maior. Lob. in Adu. Obs. p. 165. Ic. Plant. p. 308. Gentiana floribus luteis Simlero de Alp. Gent: magna fl. luteo veteribus descripta. Gentiana veterum Clus. pann. & Hist. Gentiana alpina maior C. Bauhin. pin. & [vt etiam phyt.] Gentiana 1. siue maior lutea.

Nomina linguarum. Γεντιανὴ Græcis, Latinis & officinis omnibus Gentiana. Mauritanis Gentiana, Centiana basilica, seu Basateca: Sclauonibus & Turcis Serfenicha. Germ. Gentian/ Bitterwurtz/ & in Alpibus Heluetiæ Berfach: Belg. & Angl. felwort & Gentiane, vt & Gallis. Itali latinum nomen tenent, vti & Hispani.

Locus & Tempus. In montium pratis ac pascuis variis in locis obseruaui, florentem Iunio ac semen maturantem Augusto. Copiosam ait Turnerus in Alpibus inter Germaniam & Italiam: Matthiolus frequentissimam in excelsis Tridentinis montib. præsertimque in Ananiensibus, in quorum cacuminibus effodi refert radices brachiali longitudine. Augusto & Septembri colligitur radix, & siccatur in vmbra. Singulis annis regerminat: cùm verò semine se propagat, tarò altero & vix tertio anno caulem producit, nata in Sueuiæ & Briscoiæ montibus, Cordo. In hortis difficulter vltra triennium durat: in iis quidem floret, sed facilè postea perit, nec ex semine facilè prouenit.

Vires & vsus. Commendatur radicis puluis ad canis rabidi morsum. Hepaticis & stomachicis, qui cibum sumptum retinere non valent, Gentianæ radicis puluis è vino potandus exhiberi debet, quod qui fecerit, authore Trago, auxilium præsens sentiet. Euporiston medicamentum in febribus, quod etiam testatur Horatius Augerius in suis epistolis. Simlerus in descriptione Alpium, refert pastores vti Gentianis ad vbera vaccarum si à muribus araneis aut aliis bestiis venenatis lædãtur. Putredinis Gentiana hostis infestissima, & veneni mors, inquit Lobelius. Pesti adeò remedium præsens, vt non modò homini, sed etiam brutis incolumitatem tueatur: & amissam restau-

reſtauret, eóque ſolita Heluetia iſtam cum flammula porcis, & olim Monachis propinare, ne anima in viuo cadauere puteret. Gentianæ aqua, perſertim quę vaſe duplici balnei vapore, vitreis organis elicitur, febres (vt Matth. ſe ſæpiùs expertum ait) ab infarctu tum viſcerum, tum vaſorum excitatas mirificè pellit. Alui tineas necat maculaſque in facie qualeſcunque detergit, ſi eâ frequentiùs maculæ abluantur. Succum Gẽtianę magnitudine Caſtaneæ aut Nucis Iuglandis dimidium eius vno die, alterum poſtridie, commendat deglutiendum, contra febres, non ſolùm tertianas longas & nothas, ſed & quartanas.

GENTIANA MAGNA FLORE purpureo & albo.

Deſcriptio

A Vulgari maiore, luteo flore nihil formâ differt: etenim ampla habet folia, Ellebori albi folijs haud multùm abſimilia, ſed teneriora, & ſaturatiore viriditate ſplendentia: caules digitali aut pollicari interdum craſſitudine prædituos, rotundos, cubitales, nonnũquam bicubitales, geniculatos, quos ambiunt ſimilia folia, aliquantulùm tamen anguſtiora, ex aduerſo ſibi oppoſita: extremos caules ambiunt binæ aut ternæ confertorum florum coronæ, qui non ſunt lutei, aut ſtellati, vt in vulgari maiore, ſed purpurei, maiores, concaui, in ſenas aut plures lacinias obtuſas extremis oris ſecti, & purpureis quibuſdam punctis, inferiore & interiore, quà candidiores & dilutiores ſunt, diſtincti, odoris expertes, totidem, quot ſunt laciniæ, ſtaminibus longum & bifidum vaſculum internè ambientibus, in quo cõtinetur copioſum ſemen, planum, paleaceum, minus quàm in illa flaua maiore ſtellato flore, ſubrufum: radix craſſa, longa, foris plerumque flaua, intus alba, impenſè amara, digitalibus fibris ſubinde prædita eſt, ſingulis annis noua germina (quemadmodum maior flaua) proferens, & multos caules ex eodem capite producens, præſertim cùm adoleuit, ſed qui alternis duntaxat annis, vt plurimùm floriferi eſſe ſoleant, interquieſcente nimirum vno anno à partu marre. Aliud genus inuenitur nihil quidem à dicta aut formâ, aut magnitudine differens; ſed cuius flores, qui in illo ſunt purpurei, in hoc omninò lactei coloris conſpiciuntur, authore Cluſio.

Trago Gentianæ alterum genus, multò magis exiguum, vulgate per omnia referens, excepto flore ſubcæruleo, & guſtu amariore. Geſner. in monte fracto, Gentiana punicea, radice luteâ, amariore: Eid. coll. ſtirp. Gentiana punicea, radice luteâ, amariore: Eid. coll. ſtirp. Gentiana minor, alpina, floribus magnis puniceis, caule cubitali, radice pollicis, vel duorum. Simlero Gentiana altera minor floribus puniceis. Harch. Gentianæ ſpecies paulò maior, ſubcæruleo flore. Dod. gall. Gentiana 2. ſiue flore cæruleo Tragi, maiori efficaciâ. Camer. apud Matth. in hiſt. germ. Gentiana cærulea maior, in Heluetia frequens à Geſn. deſcripta. Eid. in Epit. Gentiana maior alia: Item hort. Gentiana maior flore purpureo. Et ſic etiam Cluſ. pann. 277. & 278. itemque hiſt. cui & Gentiana Pannonicarum & Noricarum Alpium maxima, Gentiana maior albo flore. C. Bauh. phyt. & pin. Gentiana 2. ſiue maior purpurea Lobel. Obſ. p. 165. Gentianam purpureis floribus à Cluſio ſibi tranſmiſſam memorat, Iconem tamen non exhibet.

Purpuream Gentianam collegi Burmij Rhætorum florentem Iunio. Gentiana maior purpureo flore exit ſpontè in Pannonicarum Noricarumque Alpium jugis abundè: Floret Auguſto: ſemen Septembri matureſcit, nouâ niue in ea juga cadere incipiente. Varietas flore albo in Stiriæ ſuperioris alpibus: Verùm neque hoc genus, neque illud purpureo flore cicurare vnquâ potuit Cluſ. aut vllâ diligentiâ & culturâ efficere vt in hortis permanere vellet, nedum flores proferre. Quin culturæ beneficio deterior euadit.

Quoniam autem guſtu amarior quàm vulgaris, ideò in Medicina efficacior habetur, vehementiuſque & ſoluere, & purgare creditur. Frequens huius vſus ad morſus animalium venenatorum. Hęc magnitudine & formâ dictæ planè ſimilis, eius tamẽ flores paullo (vt ex ſicca à Cromero miſſa planta, Cluſio deprehẽdere licuit) minores, colorem habent pallidum, ſiue, vt Cromerus ſcribebat, obſoletè luteum, quàmplurimis nigris maculis, intus & foris aſperſum. Idem addebat, ab eo, qui ipſum in montana illa loca deduxiſſet, ſibi relatum, in alio quodam præalto monte, aliam formâ non diſpari reperiri quæ cæruleo flore eſſet. Synonyma

Gentiana maior pallida punctis diſtincta & cærulea Cluſ. pann. p. 280. Eid. hiſt. Gentiana maior pallido flore punctis diſtincto: Et, Gentiana maior cœruleo flore. C. Bauh. phyt. Gentiana 3. ſiue maior pallida: Eid. pin. Gentiana 3. ſiue maior flore punctato.

In Sileſiæ montibus eruit Achilles Cromerus Niſſenſis.

GENTIANA FOLIO CONVOLVTO.

PLanta eſt elegans *radicibus* fuſcis, craſſis, longis, lentis, repentibus, fibellis pauciſſimis adhærentib. vnde *caules* exurgunt cubitales, rotundi, ſtriati, glabri & albi, geniculis diſtincti, in terram reclinati, & concaui: circa quos *folia* viridia, glabra, ſubrotunda, neruoſa, vncias duas lata, paullò longiora, rariùs ex ſingulis geniculis bina, ſed ex quolibet geniculo vnum tantùm, nullo

Deſcriptio

certo ordine vel numero enascitur, quod antequam expendatur, fistulæ instar caulem complectitur: *flores* in summo cauliculorum, ex superiorum foliorum sinu, tenerrimis pedicellis subnixi, ex cauliculis oblongis, nonnihil hispidis prodeunt, Saponariæ vulgaris formâ ex quinque foliis per oras crenatis commissi, qui colore albi sunt, leui carneo colore aspersо, in quorum medio staminula quædam exigua.

Gerardo Gentiana concaua, Angl. hollow felwoort or Englisch Gentian. Sed impropriè à Gerardo Gentianam folio cõuoluto vocari concauam scribit in epist. ex Anglia ad nos Lobelius. C. Bauhin. phyt. in prod. (cuius descriptionem assumpsimus, ex missa ei icone concinnatam) dicitur Saponaria concaua Anglica: item pin. vbi & Saponaria 2.

Locus & tempus. Hæc Aestate media floret in Anglia, in Comitatûs Northampton nemore quodam Sipanie dicto, authore Gerardo.

GENTIANA MINOR, SEV VVLGI Cruciata.

Descriptio

REptant cum *radice* rami sesquipalmares, & dodrantales subrubentes: quos crebra ambiũt *folia*, bina semper aduersa, vel potiùs vnum continuum ad genicula, tanquam vagina caulem inuoluens, cuius vtrinque exit segmentum Gentianæ, sextuplò ferè minus, leue, pingue, amarum: *flores* in ramulis extremis ex foliorum alis conferti, cærulei, quinquepartiti: *semen* copiosum, minutum, oblõgum, fuluum, insipidum, vasculis continetur oblongis bipatentibus, folliculo membraneo obuolutis.

Synonyma Brunf. lf. Herba follonum. Corn. Gentianæ Herbariorum altera species. Anguillaræ Cruciata in Apennino copiosa, nomine Gentianellæ. Gesnero horto: Gentiana cruciata. Camer. horto Gentiana media, siue Cruciata, libentiùs horto assuescens: Eid. apud Matthiol. Gentiana minor. Et sic etiam ipsi Matthiol. Tabern. Gerardo, Lobel. Obs. pag. 166. Icon. Plant. pag. 309. & Adu. quibus & Cruciata recentiorum. H. Lugd. p. 1259. Cruciata siue Gentiana minor Matthioli. Cast. p. 203. γεντιανὴ μικρὰ, non Pettimborsa, sed Mettimborsa vocanda. Et sic etiam pag. 154. Sed cur Durantes eandem plantam duobus locis tradit? Nonne hoc factum ignorantiâ stirpium? postremo enim loco sub titulo τῆς γεντιανῆς μικρᾶς, Cruciatæ & Pettimborsæ malè pingit Cruciatam stellatam.

Cruciata Fuchs. (cui & Gentianæ species) Matthiol. Lacun. Lon. & Eyst. Cruciatæ Gentianæ species Harch. Cruciata gentianella Thalio. Vincetoxicum alterum Cæsalp.

Hæc planta germanis vulgari vocabulo Molsheer & Creutzwurtz, quasi Radix cruciata (σωρόριτος) appellatur. Et hanc à radice ita dictam putant, sed foliis potiùs cruciatim cauli incumbentibus nominis etymon debetur. A radice amara Bitterwurtz, Radicem amaram, appellaris. Alij Saponariam & Isatin agriam, germ. Seiffenkraut/ & wildweidkraut/ sed perperã vocant. Qui Rhenum habitãt Germani, S. Peterskraut/ h. e. Herbam S. Petri: nõnulli propter vulnera quæ sanare dicitur, Sperenstich nominãt: Alij heilallenschaden/ quasi Chiliodynamin: Belgæ Modelgheer: Angli Grosse woort Gentian. Intelleximus à Sagis gallicè nominari *l'herbe du cry*. Ital. *Gentiana minore*: Boh. Prostrelene koreny. Hieron. Braunsch. putat eam esse herbam, quæ Hebræis dicitur Borith. Nomina linguarum

Cruciatam dictam plantam, testimonio Matthioli, non paruam cum Gentiana cognationem habere confirmatur. Ananiensa rura Cruciatam vulgò vocant *Pettimborsa*, sed corrupta Italicâ voce, pro *Metti in borsa*, quòd ingentibus viribus commenderur, vt patinde ac gemma, crumenis asseruari mereatur: aut quòd tantùm viribus excellat, vt Medici eâ vtentes ingentem argenti & auri copiam crumenis sint reposituri. Matthiolus in comm. lat. cum mag. fig. videtur nomen Pettimborsæ alteri Gentianæ tribuere. Ab Vngaris vocatur zent Laszlo/ Kiraly fiue/ h. e. S. Ladislai Regis herba. *Pettimborsa.* *Metti in borsa.*

Differentiæ duæ Clusij. Portò Gentianæ tertiæ vulgò Cruciatæ vocatæ (vt vocat) Clusius duas differentias obseruauit: vnam ramis humi procumbentibus & minorem: alteram firmis & erectis caulibus, eámque maiorem: flores item alterius magis cærulei spectantur, atque illarum altera radicem in foramina sectam minimè habet.

Differentia triplex C. Bauh. C. Bauhin. qui in phyt. Gentianam quartam facit, & in pin. Gentianam pratensem 1. & Gentianam cruciatam vocat, triplicem differentiam constituit, Vnam procumbentem & minorem: alteram erectam & maiorem: Et tertiam radice non pertusâ.

Locus Nascuntur verò eæ per vniuersam Pannoniam cùm in collibus, montibusq; aperti & gramineis, tum siccioribus prati, & herbosis, secundum publicas vias, locis. Sed obseruatur etiam Viennæ Austriæ in pratis Dornacẽsibus, siluæ adiacẽtibus. Item prope Wernigerodam. Locis nõ ita arduis, hæc Gẽtiana, multa & passim oritur, vti prope Basileam, & Maconium Burgũdiæ Gallicæ, depressis collibus, Lobelio. In collibus & montibus, inquit Dodonæus, nec non in alijs inculris agris & asperis locis [& secus itinera, Trag.] reperitur, & in Germania quidem frequẽter. Septembri quidẽ in Germaniæ agris, Iulio mense in Belgij hortis floret. Ego vidi florentem Basileæ extra portam S. Albani in colle Iunio & Iulio: mense Augusto prope Leurach, & in montibus Swasserfal. Geneuæ mensis Februarij principio inueni in proximis montibus, vt Saleuæ, cum reliquis foliorum & caulium præcedentis Æstatis.

Vires & Vsus. Huius Radices recentioribus magnis laudibus efferuntur contra pestilentiam & venenosorum animalium ictus. Matthiolus quidem illud se experientiâ compertum habere scribit, quòd radice tusâ, & ventri emplastri modo imposita, vermes, qui in intestinis fuerint, procul dubio necẽtur: & vlceratæ strumæ sanentur, si ijs eodem modo contusa, quæ nuper effossa sit, vel sicca & in puluerem contrita adhibeatur. In summa non

non desunt,qui asserant,hanc ea omnia præstare posse,quæ Gentiana. Cæterùm amara & foliis est & radice ; temperiem calidam & siccam obtinet : præstat quæcunque amara possunt. Pastores pecorum apud Mediomatrices miris superstitionibus hanc plantam fœdant (inquit Tragus,qui hanc plantam φίτυμα esse existimat) nam vbi pestis porcorum ingruerit,illius herham ac radicem minutim concisas cum aliis quibusdam pulueribus, in cibo ac potu exhibet, adiunctis quibusdam preculis , planè sibi persuadentes quotquot huiusmodi escas degustauerint porci,eos à pestilentia tutos fore.

Temperam.

Superstitio.

GENTIANA FOLIO ASCLEPIADIS vulgò creditæ.

Descriptio

Caules plures ex radice ad cubitum altos tollit, graciles , articulatos , quorum singulis iuncturis bina ex aduerso posita *folia* adnascuntur, Asclepiadis foliis formâ & magnitudine , respondentia, quinque secundum longitudinem neruis: è quorum singulorum sinu *flos* nascitur vnus , magnus, oblongus , calarhi formâ, quinque laciniis per extremum diuisus, cæruleus, totidem in medio staminibus : *Siliqua*, inquit Clusius subsequitur bicornis,quæ per maturitatem dehiscens, *semen* ostendit planum,paleaceum,colore cinereo, *radix* digitali crassitudine, lutea , multas oblongas eiusdem colorisin latum spargit , singulis annis augescens, & noua germina proferens, gustu impensè amaro. In nostra icone malè picta radix.

Ian.

Gesn.fr. Gentianæ species foliis ferè Asclepiadis [Hirundinariæ Simler.de Alpib.] flotib. cærulæis. Item, hort. Gentiana foliis Hirundinaria seu Asclepiadis quorundam Gifftwurtz/ Schelmenkraut:quæ copiosa vbique apud Tigurenses locis montanis circa semitas alibique apparet.

Gentiana folio Asclepiadis.

Aret. in descr. mont. Stockhornij & Nessi, Bitterwurtz ptior, cærulæos habens flores,Campanulæ figura : foliis Asclepiadem referens:caule tubescente : radice bifidâ,luteâ,longâ,amarâ: semine compresso : Gentianæ species.

Gent. Bet.

Dodon. lat.in fol. Cruciatæ siue Gentianæ minoris species Gesneri & Tragi, foliis Hirundinariæ , floribus confartis in Germania secus semitas. Velim Dodonæum iudicasse, vbi Tragus Gentianæ folio Hirundinariæ meminerit. Gentianam porrò eam in Germania secus semitas obseruare non memini , sed neque confartos flores obseruaui. Vereor ne Dodonæus diuersas plantas confundat.

Gent. minoris flores. Dod. taxat.

C. Bauh.pin. Gentiana alpina maior 4. siue Asclepiadis folio (sic etiam cognominatur in phyt. vbi sexto loco ponitur) Gentiana 3. Tragi, & Dodon.gall. Gentiana 2.Clusij Tabern. Gentiana minor altera Dodon. lat. Vincetoxicum primum Cæsalpini. *Quicquid* dicat C. Bauhinus,ex sententia etiam Clusij & Dodonæi, hanc apud Tragum non comperio. Est ea mihi alia.

Synon. C.B. not.

Copiosè in Pannonia, Styria, Austriaque Inferiore prouenit,ad montium radices,vmbrosis collibus , nusquam verò in summis & apertis iugis in Rhæticis montibus Schlickius Medicus etuit. Floret Augusto : semen maturescit Septembri. Fertilis hæc est , nec interquiescit , sed singulis annis, vetustior videlicet,multos caules floribus onustos producit. Pertinax autem est , & fortè mitiora loca respuit , interdum tamen curâ & diligentiâ effecit Clusius , vt in hortis comprehenderet , & singulis annis repullularet & flores ferret : attamen quasi natiuo aëre & pabulo priuata , atque tanquam compedibus vincta, lugere videbatur,ac pristini vigoris & elegantiæ plurimùm amittere.

Locus.

Tempus

De Vincetoxico Matthæus Sylu. scribit valere contra venenum : ingredi in Theriacam Diatessaron,quasi hæc pro Gentiana accipiatur.Nam vt Cæsalpinus monet,apud Mesuem & reliquos authores non Vincetoxicum legitur,sed Gentiana. Celebrantur radices huius in febribus pestilentibus, & ad vermes enecandos singulari remedio. Sclauonici rustici , huius radicis decoctum fœliciter calculosis propinari, experimento se compertum habere affirmant. Aretius & Iosias Simler. tradunt eâ pastores vti ad vbera vaccarum, si à muribus,araneis , aut aliis venenatis bestiis lædantur , curanda. Amara & hæc foliis & radice est ; temperie calida & sicca.

Vires & Vsus.

GENTIANA ALPINA MAGNO FLORE.

Descriptio

Graciles habet *radices* , longiusculas , plures cohærentes, flauescentes, propagines ex lateribus producentes. *Folia* humi fusa in orbem, crebra, duplò triplóve Hippii maiora , vnciis duabus interdum longiora , semunciam aut vnciam ferè lata , in acumen desinentia, crassiuscula , vnico nonnunquam,aliàs tribus pedalibus donata,amara : pediculi vnciales , binis ex aduerso positis foliis ornati , ex calyce dimidio breuiore , quàm Hippio , *florem* emicantem sustinent magnum, Violæ Marianæ patentem, calathoeide , duarum , triúmve vnciarum longitu-

ne, vnifolium per oras ſupremas in quinque lacinias diuiſum, quarum ſpatia intercedit appendix, auriculæ inſtar, continua: color foris ex albo ſubcæruleus, laciniarum tamen ſpacia cærulea ſunt: qui color vegetior & cyaneus hilaris lacinias intrinſecus tingit, penitùs autem ſi inrueare, ſtriis picturatæ ad fundum vſque ex cæruleo purpureis, aſperis, hinc inde eiuſdem coloris punctulis: è fundo emergit turbinatus ſtylus, angulosus, puluiſculo luteo circiter circunſperſus, in ſummo tandem cacumine bifidus florem, teſte Cluſio, conſequitur oblongum acuminatum *capitulum*, quod ſeſe in duas æquales partes aperiens, *ſemen* oſtēdit exiguum, ſtriatum, terrei coloris.

Synonyma

Trago Gentiana poſtrema, ſiue quarta. Geſn. horto Gentianula, ſiue Gentianella alpina: Et cat. Gentianella pumila. Aret. Gentiana 4. minima. Cluſ. Pann. p. 284. & 285. itemque in Hiſtor. poſt. Gentianella 5. ſiue Gentianella maior verna. Lob. in Adu. pag. 130. Gentianella.

Amato addita eſt figura Dalechampij, in fine poſita pro Elleborine. An autem Amatus hanc intellexerit, ignoro, quia à ſe viſam in horto Magnifici Azaioli Fertarienſis, Epipactim non deſcribit. Hiſt. Lugd. p. 828. inſcribit Gentianellam minimam latifoliam, aitque quorundam eſſe Helleborinem, ſiue Epipactim, poſſe verò & Thylacitim maiorem dici: Allobroges *Repeiret* nominare.

C. Bauh. not.

C. Bauhin. Gentiana 15. ſiue Gentianella alpina anguſtifolia magno flore: Item Gentiana 16. ſiue Gentianella Alpina latifolia magno flore. Has diuerſas eſſe plantas perperàm ſtatuit Frater.

Locus & Tempus.

Creſcit in Schneeberg & Etſcher abundantiſſimè, aliiſq; alpibus continuâ ſerie productis, perpetuáque quaſi niue obſitis: vbi Iunio & Iulio h. e. primo iſtic Vere, floret: ſub Iulij verò finem & Auguſto ſemen maturitatem adipiſcitur: at mitioribus locis, in quibus authore Cluſio, rariùs inuenitur, atque in hortos tranſlata, Aprili & Maio. Inueni ego in monte Rhætorum Septimo dicto florentem Iunio. In altiſſimis Diocœſis Curiēſis alpibus in tractu prope Cœnobium Oſſers appellatum, quo loco thermæ ſunt decantatiſſimæ, primùm Trago ſeſe obtulit. Lobelius in Patauinis collibus & decliuibus vbi viperæ capi ſolitæ ſunt, obſeruauit. Hiſt. Lugd. creſcit in aridis, niuoſis, perflatis, montoſis: floret menſe Aprili.

Amariſſimus eſt totius plantæ ſapor, ideóque locinoris vitiis nempe regio morbo, & obſtructionibus auxiliatur, pari cum Gentiana facultate, cui amaritudine non cedit.

GENTIANÆ SPECIES, CALATHIANA quibuſdam radice perpetua ſiue paluſtris.

Deſcriptio.

VDos amat pratorum margines, ſingulari, aliàs multiplici ſupra cubitalem altitudinē, recto *caule* aſſurgens, per quem æqualibus ſpaciis aduerſa conſcendunt *folia*, palmari nonnunquam altitudine, culmum lata, ſuperiùs atrouirentia, infernè dilutiora, è quorum ſinu à medio ferè caule, ſummo tenus, *flores* iā ſingulares, iam duo, aut plures, cærulei, quinquepartiti, calathi formâ, Gentianellæ Helueticæ pares, vel etiam minores: *radices* plures longæ, luteæ, amarę, quæ non bene exprimuntur in noſtra Fuchſiana figura, quæ cauſa cur aliam pingi juſſerimus.

Trago Gentianę tertia ſpecies radice longa & admodum amara, cauliculis tenuibus, teretibuſque, foliis acutis, anguſtis, Campanulæ, oblongis, cæruleis. *Gent. 3. Trago.*

Matthiolus in prior. commeminit duarum Gentianarum minorum, quibus in comm. It. cum mag. fig. tribuit radices albas, figuram vnam tantùm exhibens, titulo Gentianæ minimæ. In Lat. adſcribit caules humi plerumque accubantes, vocátque Ananienſium rurum genus vltimum Pettimborſa vulgò dictum. *Conſiderent* autem lectores an fuerit ritè nota hæc Gentianula Matthiolo, deſcribendo radicibus albis, & caulibus humi accumbentibus. *Matthiol. Tabern.*

An in figura folia non ſint penè maiora, quàm in ipſa herba, licèt graphicè deſcriptam dicant Aduerſaria. Figura Geſneri meliùs mihi placet. In com. lat. cum mag. fig. circa nomen Pettimborſæ ſibi contradicere videtur: id enim nomen olim Cruciatæ tribuebat.

Figuram habet Caſt. Dur. p. 103. pro Gentiana minima, Italicè Gentianella & Pettimborſa vocata, flore ex cæruleo purpureo, quæ repræſentat aliquatenus Violam Calathianam.

Dod. gall. lib. 2. cap. 21. Calathiana Viola, Calathiana Plinij, & Viola autumnalis, *Violette d'Autõne*, Belgis **blaw liliekens**, & Suiſſent ſchoon. Eid. lib. 3. ca. 12. Gentiana tertia, ſine icone. Idem de Flor. ait vulgò apud Belgas nomen non habere, eſſe tamen qui cæruleum Lilium nuncupent. *Calath. Viola Dod. Gall.*

Geſn. hort. Calathiana Viola autumnalis, amara, humidioribus pratis proueniens, profundioribus radiculis, cærulei coloris ſaturati flore: Gentianæ genus. Item, Gentianæ ſpecies pulchra, Pichris dicta Kreichio, fortè Plinij Calathianę ſpecies, Dodonæo propter floris figuram, Calathiana vocata. *Sed nec* Geſnero, nec Dodonęo aſſentiri poſſum, Gentianæ enim minori, quam picturâ exhibet Dodon. & Geſnerus pro Pneumonanthe

monanthe, radices non sunt annuæ, quales dicit Cordus esse Pneumonanthes. An Gesn. coll. Calathianæ, autumnales Violæ cæruleæ, ex quarum genere Petilium florem Plinii dixerit, radicibus amarissimis? An rursus, Gentiana palustris, florens Augusti medio & fine?

Pneumonanthe [sic in Icon. Plant. Lobelius p.309.] Cordi, Gentianæ minoris species [Calathiana Viola Plinii Dodon. additur in Obs. pag. 166.] Germ. Lungen blum, Cruciatæ similis, aut eadem, quæ in pratis etiam montosis oritur, foliis angustioribus, minoribus, flore cæruleo, Calathi modo, radice fibrosâ, neutiquam incisâ: à Matthiolo graphicè descripta. Vnam duntaxat, & huic similem sed floribus albis alit hortus professoris in Academia Louanienſi Petri Brughelii. *Iam antè* diximus, Pneumonanthen Cordi differre à Matthioli Gentiana minore & à Calathiana Dodonæi. Præterea, tantam similitudinem haud animaduertimus cum Cruciata, quantam perhibet Lobelius.

Gentianæ quartæ siue angustifoliæ pro cul dubio genus est illa, quæ à Dodonæo Campanula autumnalis nominatur, & quòd Augusto floreat atque Autumno, à Ruellio Calathiana Viola appellata est, à Cordo Pneumonanthe: *Miror* Clusium cum aliis eandem facere istam Calathianã cum Pneumonanthe Cordi multùm differente.

H. Lugd. huius plantæ tres figuras habet: p. 824. Calathiana Viola. Item, Campanula pratensis: pag. 1259. Cruciata siue Gentiana minima Matthioli.

Gentianella palustris, de qua hoc loco agimus, proponitur à Gerardo & Tabern. pro Pneumonanthe. Thalio dicitur Viola Calathiana tertia.

C. Bauh. phyt. Gentiana 7. siue palustris: Apud Matth. Gentiana minima Matth. & Castoris, quoad descriptionem, non iconem, Viola Calathiana 2. Thalii, Pneumonanthe humentium ericetorum Lobelii. Non mihi verò videtur Violam Calathianam Thalii secundam cum hac conuenire. Pneumonanthen ericetorum Lobelii supicor esse Gentianellam quadrifolio flore. Eid. pin. Gentianella palustris 1. siue angustifolia, flore cæruleo, violaceo, & purpureo.

Locus & Tempus. In Ducatûs Vvirtembergici loco humido circa Aichelberg obseruaui florentem Septembri: Lob. in Pedemontanis pratis prope Susam & Riuoli multam testatur. Reperit Dodonæus in pratis, frequenter in aliis incultis, & iisdem quibus Erica humidioribus locis. Clusio authore crescit in Austriæ pratis ad montium radices sitis. Floret Augusto. Aliquoties à Gesnero fuit plantata, paulò pòst tamen periit. Quamuis autem radix ei non simplex sit, locum tamen desiderat palustrem.

Viribus iisdem quibus Cruciatam præditam ait Matthiolus. Dodonæus qualitate calidam statuit, Gentianæ facultate quodammodò simile, multò tamen imbecilliorem. Efficax à recentioribus aduersus pestilentes morbos habetur, & ad virulentorum animalium morsus & ictus. Alii præclaras ei vires in sanandis pulmonum affectionibus ac hepatis adscribunt.

GENTIANVLA LANVGINE AD SINGVlorum foliorum floris lacinias donata, flore quadripartito.

Descriptio *Radix* tenuis quasi repens, albida, amaricans: *caules* sæpè singulares, aliquando plures, dodrantales & minores, quadranguli, in ramos aliquot diuisi: *folia* ex aduerso posita ad nodos oriuntur, inferiora quidem vnciâ breuiora, superiora verò longiora, culmum lata, neruo vnico secundùm longitudinem decurrente: *flos* in vniuscuiusque ramuli extremo singularis, calathi formâ, longus, colore cæruleo, in quatuor partes duntaxat profundas diuisus, non mucronatas sed rotundas modicè & crenatas, quarum latera vtrinque barbitio donata cæruleo, nec vllam habent ad imum laciniæ intrinsecùs lanuginem; medium occupant *apices* quatuor obsoleto minio tincti, staminibus albidis insidentes, nec non calycis vasculum longum quadrangulum in duos apices albicantes desinens, in quo *semen* continetur minutissimum, puluerulentum, ad instar Orobanches, aut Helleborines: ex radice Autumno euulsa, præter floriferos caules, oculi in sequentis anni germinationem apparebant. In tota planta gustu nullum saporem percipio præter paucam amaritudinem in foliis.

An Dodon. in fol. lat. Campanula autumnalis, in ericastris tenuior ac minor? Thalius vocat Violam Calathianam seu autumnalem primam. Gesn. hort. Calathiana Viola autumnalis alia minor, flore dilutiori, radice inutili. An eid. coll. stirp. Gentiana pumila flosculo cæruleo, radiculis albis? An Camer. hort. Gentianella pratensis Bauarica minutissima, Autumno florens? An Lob. Obs. p. 166. Gentianella siue Pneumonãthes varietas, strigosior tota, humentium Brabantiæ ericetorum? An Clusio in Pann. p. 284. & Hist. post. Gentianæ quartæ, siue angustifoliæ varietas?

Viola Calathiana Thal.

C. Bauh. phyt. Gentiana 8. siue angustifolia autumnalis, Pneumonanthe Cordi & Lob. Calathiana Viola autumnalis minor Gesn. flore cæruleo, dilutiore, nigro, rariùs albo. Apud Matthiol. Gentiana minor Matthioli, quoad descriptionem: Calathiana Viola Lugd. Dodon. in 8. Campanula autumnalis in fol. Viola Calathiana siue autumnalis Thal. Gentiana angustifol. 2. Clusio. *Ego separo* Gesner. Calathianam minorem à Pneumonãthe, nec ei tribuo colorem nigrum, ac miror neminem annotasse, flore esse quadrifolio tantùm.

C. Bauh. pin. Gentiana pratensis 6. siue angustifolia autumnalis maior, Pneumonanthe Lob. Calathiana Viola autumnalis minor Gesn. hort. Calathiana autumnalis Gesner. cat. Campanula autumnalis Dodon. Eyst. Gentiana 4. siue angustifolia 2. Clus. Pannon. & Hist. flore cæruleo dilutiore: est nigro: rariùs albo. Item, Gentiana pratensis 7. siue angustifolia autumnalis minor floribus ad latera pilosis, Pneumonanthe Cordi Hist. des. Ad. Viola Calathiana

autumnalis prima, Thal. .Gentianella autumnalis foliis Cẽtaureæ minoris flore cæruleo, Eyst. C. Bauhin. hîc separat, quæ in phyt. coniunxerat.

C. Bauhin. notatur. Locus & Tempus.

Gentianulam quadrifolio flore vidi eundo Montbelgardo à l'*Isle*, vbi vltra Montenoy iuxta dumeta floret Octobri. Inter Vauiaucourt & *Dampierre* supra fontem in colle Septembri. Itẽ prope Blaumontium, S. Hippolytũ & Basileã, in monte Moutets in pratis descendendo ad sinistra versus Augustam. In Hausbergo Ienæ creberrimè legit Thalius.

GENTIANA ANNVA CLVSII I. FLORE ex cæruleo purpureo exiguo.

Descriptio. CVbitalem habet *caulem*, firmum, geniculatum: per quem ad singulos nodos sparsa sunt bina semper *folia*, sibi ex aduerso opposita, trineruia, latâ sede & sine pediculo cauli inhærentia: sensímque in longum mucronem desinentia: ab imo ferè caule ex foliorum alis nascuntur dodrantales & palmares ramuli, tenues, minoribus foliis septi, quinos, septenos aut plures *flores* foliis cinctos, proferentes, in quinque mucronatas lacinias diuisos, exiguos pro plantæ magnitudine, purpurascentis ex cæruleo coloris: iis succedunt longa & angusta vascula, tenui *semine* plena: *radix* singularis est, exigua, paucissimis fibris prædita.

Synonima. Clus. pann. & Hist. Gentiana fugax siue annua 1. vel Gentiana septima, & Tab.

C. Bauh. phyt. Gentiana 10 siue pratensis folio quasi triangulo: Eid. pin. Gentiana pratensis 2. siue autumnalis ramosa, Viola Calathiana altera siue polyanthemos Thalii, Gentianella multiflora autumnalis è cæruleo purpurascens, Eyst. flore rariùs candido. *Nos* referimus Thalii Violã, ad Gentianam fugacem 2. Clusij.

Vires & vsus. Nascitur in pratis herbidísque locis ad montium radices sitis, montiúmque cliuis, Iulio & Augusto flores proferens.

GENTIANELLÆ SPECIES QVIBVSDAM, An Cordo Pneumonanthe, aut Gentiana fugax altera Clusii?

Descriptio

EST vbi vnico, est rursum vbi pluribus donatur *caulibus*, vix vnciâ altioribus, vel dodrantalibus, ac etiam interdum cubitalibus, angulosis, ex viridi saturatè rubentibus, fractu contumacibus & multùm ramosis: *folia*, infima quidem ex angusto principio sensim dilatantur, superiora verò latiore principio caulibus adnascuntur

paullatímque in mucronem acutum facessunt obscurè virentia, & in atrum nonnũquam vergentia, neruis aliquot secũdùm longitudinem donata, sapore subamaro, ortu oppositio: *flores* ex foliorum alis, itémque in ramulorum extremis copiosi, purpurascentes, calathi formâ, sesquunciam circiter longi, in quinque semunciales mucronatas lacinias abeunt, quarum singulis internâ parte (non ad latera) pili, barbulæve purpurascentes adnatæ, quarum coitus tubulo inclusa quinque stamina cum stylo viridante occultat: sunt autem sapore luculentiùs amaro quàm folia, non sine acrimonia, calyx longus *semen* continet rotundum, Papaueris semine minus: *radix* subest lignosa, dura, modò vnica fibrata, modò plures. Annua est herba.

Fuschsius, cùm Tubingæ degerem, vocabat Gentianam cæruleam quartam. An Cordo hist. Pneumonanthe, i. e. Lungenblumen? An Aret. Ralberschis? An Clus. pann. pag. 289. & 290. itémque hist. Gentiana 8. siue fugax, aut annua altera?

Gesn. hort. Calathiana Viola autumnalis tertia, Gentianæ genus, radice inutili, calathis florum puniceis, multis, confarctisque: subacris.

Thal. Viola calathiana altera, seu πολυάνθεμος, floribus coloris ex pallidiore cæruleo subrubentis veluti leniter, odoris nauseosi seu virosi. Rariùs flore prorsus candido.

C. Bauhin. phyt. Gentiana nona. Eid. pin. Gẽtiana pratensis 3. siue flore lanuginoso: Gentiana 8. siue fugax altera Clusii. *Fortè* Frater non intelligit eandem, quam nos: quia Violam calathianam πολυάνθεμον, ad aliam Clusij refert, nempe fugacem primam.

In Alpibus Rhæticis, & montibus Geneux propinquis, itémque Basileę in pratis, floret Augusto & Septembri. Montbelgardi abundat supra *la Crote*, & circa Blaumontium, passim locis cliuosis sub Autumno. Locus & Tempus.

Gentianella fugax tertia Clusij, flore viresce nte & subcæruleo, breuiore & maiore.

Pari fermè excrescit altitudine, nec minùs frequentibus ramis est prædita: *caulis* etiam quadrangulus, terni aut plures in singulis ramis *flores* superiori similes, sed breuiores, ampliorésque viroscentis initiò coloris, deinde subcærulei: quibus longa cornicula seu mucronata membranacea vascula *semine* plena, vt in superiore succedunt: *folia* in singulis nodis multò latiora, mucronata, trineruia, ex aduerso inter se sita, viridis saturi & quodammodò nigricantis coloris: *radix* superiori similis, inquit descriptionis author Clusius, qui Gentianam 9. siue fugacem aut annuam tertiam, impensè amaram cognominat. Descriptio.

C. Bauh. phyt. Gentianam 11. vocat. Idem pin.

Gentianam